COLLOQVIORVM THEOlogicorum Libri duo, in cõmodum Theologiæ candidatorum, Iam primum æditi, per

M. Antonium Coruinum.

Quintilianus.

Si studijs scholas prodesse, moribus autem nocere constaret, potior mihi ratio uiuendi honeste, quã uel optime dicendi uideretur.

Cum priuilegio Cæsareo.

Hunc librum dat Wilhelmo Muntrio Conradus Seuringius Fridslariensis amico suo

PRIMVS LIBER HOS
Locos continet.

De Pœnitentia & fide.
De Bonis operibus.
De Cruce & ſpe in adflictionibus.
De Sacramentis in genere.
De Baptiſmo.
De Confeßione & Satiſfactione.
De Euchariſtia.
De Lege & Euangelio.
De Peccato.
De Libero Arbitrio.

IN SECVNDO HI
Loci tractantur.

De Libertate Chriſtiana.
De Vero cultu Dei.
De Inuocatione ſanctorum.
De Eccleſia.
De Veri Paſtoris Officio.
De Autoritate ſcripturæ.
De Oratione & Ieiunio.
De Magiſtratu.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINcipem ac dominum, dominum Philippum Hessorum Landgrauium, in Commendationem Colloquiorum M. Antonij Coruini, Elogion Helij Eobani Hessi.

Cum tua, dux patriæ fortissime, floreat armis
Parta tibi uirtus, gloria, fama, decus.
Cum reduci ueræ faueas pietatis honori
Cum doctos foueas & tueare uiros
Cur non sæpe tuas per nostra uolumina laudes
Aspitias, dignas hic & ubiq; legi?
Cur tua non festo celebremus nomina plausu
Qui Lano colimus mœnia iuncta tuo?
Ipse ego qui martis cecini tua facta Sueui
Qui tibi Dauidis scripta legenda dedi
Qui per scripta tuas dixi pastorea laudes
Per quæ scripta tuus uiuit uterq; parens
Cum legerem doctos, Coruini scripta, libellos
Suauiter alterna conditione loqui
Hos tibi deberi tota ratione ferebam

Hos titulo dignos nominis esse tui
Quòd nihil adserta nisi de pietate loquantur
Quòd tantum fidei Christidos arma ferant
Magnanimo dixi laus conuenit ista Philippo
Qua puto donari non potiore uolet
Huic age uocales Coruine inscribe libellos
Ne dubita inscriptos adseret ille sibi
Paruit & cupida mandatum mente peregit
Hoc memor officium muneris esse sui
Tu nunc Hessiaci rector generose Leonis
Accipe qua data sunt haec tibi scripta fide
Quæ si cũcta uolens, ut spes est certa, pbaris
Per media haec sternes ad meliora uiam

IN PIA M. ANTONII CORuini Colloquia Decastichon M. Reinhardi Hadamarij.

Linguarum nitor, ac omnis cultura palestræ
Mopsopiæ, Clario pernicioſa gregi
Pectoris integritas si non accesserit, atq;
Luminibus uirtus irradiata sacris
Est nihil improbitas aliud redimita Camoenis

Quàm fera baccatũ porca monile gerens
Siue cadaueribus noua gemma recõdita, ſiue
Optima ſulphureis inuſta refuſa cadis
Ergo Coruinus ſtudium pietatis honeſtum
Colloquijs recta miſcuit arte ſuis

AD CHRISTIANOS PVEROS
ut ſacra M. Antonij Coruini Colloquia ſtudioſe legant, M. Petri Nigidij adhortaciuncula.

Eximium meruit lucubrando nomen Eraſmus
Chare puer ſcriptis tot ibi Colloquijs
Perlege & inuenies nitidi ſermonis & arte
Exculti copiam ſuauiloquũq; ſtylum
Atqui materiam ſi ſpectes æquat eundem
Coruinus ſcripti commoditate ſui
Es bonus, ambobus meritos tu defer honores.
Turpiter ingratus ne uideare caue
Expoliet linguæ plectrum facundus Eraſmus
Ingenij mira dexteritate ſui
Coruinus fidei pueris pia dogmata ſacræ
Explicat & breuiter pectora docta facit

FINIS.

ILLVSTRIS-
SIMO AC PIENTISSIMO

Cattorum Principi Philippo, Domino ſuo clemẽtiſſimo, Gratiam & pacem per Chriſtum.

IRCVM feruntur paſſim, Princeps illuſtriſſime, Eraſmi Roterodami Colloquia, in commodum ac utilitatem puericiæ ſcripta, terſa, nitida, iucunda, & de quibus dubites, maior ne inibi uerborum an rerum contineatur copia. Et ſi quid meo hiſce in rebus iuditio tribuendum eſt, ita in eo ſcripti genere excellit, ſiue orationis munditiem, ſiue adparatum, ſiue illecebram, qua id genus colloquia cõdiri ſolent, ſpectes, ut omnes quotquot ſcribendis Dialogis poſthac operam nauarint multis paraſangis poſt ſe relicturus ſit. Quam quã autem & recta loquẽdi ratio & ſermonis mundities optime iſtinc hauriantur, tamen nec Eraſmicos ægre laturos arbitor, nec me inepte

facturũ, si Colloquijs aliquot negociũ pietatis tractemus, pietatis inquam, citra quam, nulla eloquentia potest esse cõmendabilis. Quod si ijs qui omnia calumniari solent, hic uidebor nimium uel ieiunus uel breuis uel frigidus, iam respondeo, & Corinthum omnibus adire datũ non esse, & deum suo non nostro arbitratu dona sua impertiri mortalibus. Et quis obsecro, tam impudens sit, ut se Erasmicam eloquentiã æquaturum speret? Proinde non est cur sermonis lenocinium hic lector expectes. Pietatis negotium agemus, idq; quàm possumus simplicissime, Agemus uero istuc ipsum nõ leuibus decaussis. Principio negari non potest, Eloquẽtiam si pietatem, eamq; germanam coniunctã non habeat, àdeo salutem nullius promouere, ut etiam uehementer ea in re obsit. Mendatium mihi hic impingi paciar, si non Quintilianum (etiamsi de prophana probitate is tantum loquatur) in eadem mecum sententia esse ostendero Sic enim inquit. Si studijs scholas prodesse, moribus autem nocere constaret, pocior mihi uiuẽdi ratio honeste, quàm uel optime dicendi uide

uetur. Vides quanti morum, ac recte uiuendi honestatem faciat Ethnicus, eloquentiæ cum cultor tum doctor tũ iudex? Huc adde quod in prologo Rhetoricorum ueterum Cicero scribit, & ipse Romani sermonis delitium, Me quidem inquit, diu cogitantem, ratio ipsa in hanc sententiam potissimum ducit, ut existimem sapientiam, sine eloquentia parum prodesse ciuitatibus. Eloquentiam uero sine sapiencia, nimium obesse plerumq;, prodesse nũquã. Quare si quis omissis rectissimis atq; honestissimis studijs rationis & officij, consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, pernicioſus patriæ ciuis alitur. Iterum audis non aliò nomine Eloquentiam commendari, quam si studium rationis & officij coniunctum habeat. Taceo quod Lacedemonij Ctesiphontem ciuitate eiecerũt, quod se dere quauis profiteretur totum diem dicere posse, sic iudicantes. Sermonem in oratore laudem non mereri, cui res non respõdeat. Si Fabio igitur iudice, pocior est recte uiuendi, quàm uel optime dicendi ratio.

Et Ci

Et Ciceronę teſte, noxia etiam eſt ſine officij & ſapientiæ condimento Eloquentia, cur non uel maiori uel ſaltem pari cura, pietatem pueris inculcamus, atq; rectam loquendi rationem? Equidem excellens uirtus eſt eloquentia, Fateor. Neq; enim ſplendidam & eruditam orationem, reginam rerum uocauit abs re Fabius. Et nos eloquentiæ ſtudium adeò non damnamus, ut etiam ad conſeruandam Religionem, modis omnibus neceſſarium iudicemus. Attamen multo excellentius donũ eſt pietas. Pietas inquã, de qua Paulus ad hunc modum ait, Corporalis exercitacio parum prodeſt, pietas ad omnia utilis eſt, habet enim promiſſionem præſentis uitæ & futuræ. Quare ij demum horas recte collocant, qui ſummis uiribus, quod dicitur, in hoc ſunt, ut cum dicendi facultate, Euangelicã quoq; pietatem imbibant. Iam hoc quoq; inficiabitur nemo, quod nulla ætas ad percipiẽdam pietatis rationem, magis idonea ſit ac pueritia, ut quæ nullis adhuc opinionibus infecta, ei rei tãtum cui deſtinata eſt, & uacet & aurẽ præ

beat. Quum contra ij, qui ad superstitionum scopulos ueluti consenuerunt, difficillime & in uiam reducantur, & Euangelicæ doctrinæ iugo (quod tamen cum magna suauitate coniunctum est) colla subijciant, Quotus quisq; enim ex eorum numero, qui humanis constituciuncu lis addicti, a Iudaicis cæremonijs pietatẽ æstimant, Christi merito salutem suam acceptam refert? Omnes ferè inter eos numerari malunt, qui pœnitentia sibi opus non esse existimant, atq; inter perditas illas oues, quas humeris suis Christus impositas, ad gregum caulas reportat cõspici, id quod Christus apud Mattheum his uerbis indicat? Nullus immittit assumentũ panni rudis in ueste ueteri, Aufert enim supplementum illius a uestimento, & peior fit ruptura, Neq; mittunt Vinum nouũ in utres ueteres Aliòqui rumpuntur utres, & uinum effunditur & utres pereunt. Sed mittunt uinum nouum in utres nouos, & utraq; seruantur. Proinde quẽ admodum Timotheum hoc nomine laudat Paulus, quod a pueritia statim sacras literas didicerit.

rit. Ita apud nos quoq; qui Christo nomina in Baptismo dedimus, aduigilandum est, ut non tam literas quàm pietatẽ pueri nostri, uel ab ipsis incunabulis, protinus imbibant. Propterea quod natura tenacissimi sumus eorum (Quintiliano teste) quæ rudibus illis annis pcipimus, ut sapor quo noua imbuas durat. Nec lanarum colores, quibus simplex ille color mutatus est elui possunt, Hinc Horatianum illud.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Postremo me ad hoc scripti genus impulit mira Anabaptistarum hoc seculo fœcũditas, ut quorum malitia ac nocendi studium, iuuentuti modis omnibus ostendendum fuit. Neq; enim negare possumus, magnum quiddam moliri, hunc impostorem spiritum. Enimuero male audit hoc nomine Luterus, quod horum malorum caput & autor sit. Sed quid non comminisci audeat lingua maledica? Sectæ huiusmodi solus ille cum suis restitit, solus quem finem rabies illa habitura esset & præuidit & prædixit. Solus

lus cõtra uenenũ huiuſmodi, purioris doctrinæ antidotum commonſtrauit. Et quis neſcit Lutheri ac Vuittenbergenſium nomen, apud hoc hominum genus magis inuiſum eſſe ac Papiſtarũ? Quód ſi Munſterana factio, monitis uri[illegible] mi parere in animum induxiſſet, non tam [illegible] rabiliter impietatis ac perfidiæ penas dediſſet. Breuiter, functus eſt egregie officio ſuo ut omnium optimus. Indeſinenter enim clamauit, ni reſipiſcerent, breui furorem ipſorum finem habiturum eſſe, eumq; peſſimum. Iam quum conſtet, aduerſus impiam iſtorum doctrinam, qui tantarum in orbe turbarum autores ſunt, diligenter omnium animos præmuniri oportere, libuit etiam hiſce Colloquijs noſtris aduerſus tãtum malum, iuuenilia pectora armare. Partim ut in Iuſtificationis negocio recte inſtructa, in diuerſum doctrinæ genus nũquã abriperetur, partim, ut quoties id genus ſectæ exorirentur, ſemper quod eidem obijceret, haberet. Atq; haſce meas Vigilias, utcunq; minutas ac deſpicabiles, ſub nominis tui auſpicio prodire uolui.

prin-

Princeps illustrissime. Et cui rectius nũcupari poterat libellus de pietate scriptus, atq; tibi, nimirum pietati addictissimo? Equidẽ maius pro collocatis in me beneficijs, merebatur munus, Celsitudo tua. Quia uero aurum, argentũ, uni[illegible], non habemus, id quod possumus dona-[illegible] addubitantes, (quum in literarijs do[illegible] potius offerentis ac doni ipsius dig[illegible]tatem pretiumq; spectare soleas) quun munu cias hasce nostras, qualescumq; tandem sint, obuijs quod dicitur ulnis exceptur⁹ sis. Quod superest, rogo Celsitudinẽ tuam per Christũ, ut de literis ita ut cepisti benemereri pergas. Perges autẽ, si Sigismundi Imperatoris hac in re exemplum imiteris, & ob oculos semper habeas, is enim ut eruditionem ipse amauit. Ita uiros eruditione præstantes semper ornare studuit. Quo nomine, quũ a Germaniæ principibus obiurgaretur, quòd homines obscuro genere natos foueret. Quid ni, inquit, eos amem, quos natura cæteros antecellere uoluit? Porro si literas foueris, præsertim Sacras, iam de pietate

COLLOQVI

VM DE POENITENTIA, & fide.

Bernardus. Hieronymus. Dionysius.

BERNARDVS. Vnde nobis tanta onustus sarcina? HIERONY. E Francfurdianis nundinis. BERNARDVS. E nundinis? num tu me ludis? Ego te alio profectum arbitrabar. Hyero. Amicum ego luderem, præsertim seria percunctantem? Bernar. Ecquid igitur nouarum rerum istinc adfers? Hierony. Audies, Vbi sarcinam hanc deposuero. Bernar. Aliquid igitur adfers? Hierony. Quasi uero periculosissimis hisce temporibus illucescat ullus dies, qui non noui aliquid secum aduehat. Bern. Expecto quid dicturus sis. Hierony. Ipso die palmarum, quum nihil minus, ac tale quiddam expectaretur, ingens tempestas exorta ibi est, cœlo ipso nõ aliter, atq; media æstate solet, & choruscante & tonante. Eã postea imber gran

dine mixtus insecutus, tantum omnibus terrorem incußit, ut Fatale quoddam ei Vrbi malũ immineꝛe arbitraremur. Bernard. Atqui nunciatum hic est, tonitrua etiam tum quum Schmalcaldiæ nuper Euangelicorum Principum comitia haberentur, audita esse, hoc est, quum uix media hyems præterijsset, adeoq; gelu adhuc ac niuibus omnia occuparentur. Hieron. Istuc q; scio. Tacta enim & incensa tum de cœlo est Marpurgiani templi sumitas, quo incendij genere ualde terreri solent homines. Bern. Ego uero tàm feracia prodigiorum miror esse hæc tempora. Nam ante biennium, cœlum etiam ipsum primo findi, deinde horis aliquot ardere uisum est. Atq; utinam fœliciter cadat, quicquid tandem ijs rebus portenditur. Neq; enim dubium est, quin insignem aliquam orbis calamitatem significent. Hieron. Si ea quæ anteà biennium uisa ac audita passim sunt repetere libet, iam ego quoq; quod addam habeo. Ac quidem principio, Cassellis in uinea Principis lepus biceps inuentus, captus, & á multis uisus est. Eodem anno infans natus est Vuicen-

huſij

huiſu, ſpecie adeo prodigioſa, ut nihil ſupra Naſi locum caro digiti inſtar occupabat. Oculorum uice bina foramina habebat. Ex utraq; manu ſeni digiti prominebant. Aqualiculus ut extenſus, ita adapertus erat. Mas an fœmina eſſet cognoſci nequibat. Et ſub idem tempus ſtellæ pugnantium in modum concurrere ibidem aliquamdiu uiſæ ſunt. Bernard. Hui, nihil ne amplius? Hiero. Terra quoq; ibidem ingenti hiatu tũ ſubſedit. Alia in alijs locis uiſa prodigia taceo. Bernar. Quid futurum erat, ſi apud Veteres hæc contigiſſent Romanos? Hieron. Multis me hercle hoſtijs & luſtrationibus expiata fuiſſent, Sic enim iudicabant. Monſtra ac prodigia huiuſmodi, prædictiones & præſenſiones rerum futurarum eſſe, ijsq; ipſis quæ futura ſint hominibus portendi ac prædici, id quod apud Tullium uidere eſt, in eo libro quẽ de natura Deorum inſcripſit. Atq; hac de cauſa non prius educebant exercitum imperatores, quàm ira deorum rite placata eſſet. Cur hic ab idololatris Chriſtiani uincimur? Religionem iſti, quàm à patribus ceu per manus acce

Monſtroſus partus.

Stellarũ concurſus.

perant, diligentissime obseruabant, nihilo segniores dubio procul futuri, si & in Christianorum tempora incidissent, & Deum per Christum cognouissent. Nos tot beneficijs à Deo ueluti obruti, quum probe quid facto opus sit sciamus, Imò, quum ad uerã pietatem, ad Germanum Dei cultum, adq; ueram religionem quotidianis ferè concionibus per Euangelij præcones inuitemur ac prouocemur cessatores tamen sumus, ad uitia nimirum & coporis cõmoda propensiores, atq; ad purioris uitæ studium. Quòd si cum lucerna sua Diogenes, bonos uiros quæsitum ad nos quoq; ueniat, timeo ne non dicturus sit. Multo maiorem esse malorum inter Christianos prouentum atq; bonorum. Bernar. Vtinam hic mentiaris. Ego certè uera hæc esse fateor. Nullis enim concionibus à prauo abducimur, nullis terriculamentis emẽdamur. Nullum nobis flagelli genus timorem Dei incutit, ita ut recte in nos propheticum illud quadret, Israel non est reuersus ad percutientẽ se. Imò eò impietatis uentum est, ut uerbi præcones, adeoq; uerbum ipsum, passim & rideantur

Christianorum oscitantia.

Impietas huius seculi.

deant & exhibilentur. Quem ſui contemptū, utinam non totius orbis malo Deus tandem ul ciſcatur. Sed eccum Dionyſium, ueterem noſtrum & congerronem & antagoniſtam huc adproperantem. Mirum ni ſiculneis argumentis aliquot inſtructus, ita uti olim conſueuit, oppugnatum uos uenit. Dionyſius. Saluete Luterani. Hierony. Et tu Papiſta ſalue. Dionyſius Quàm dudum reuerſus es? Hierony. Haud ita dudum, uix ſarcinam depoſui. Diony. Quid uero cum Catone iſto nugaris? Bernar. Vtinam quod ad morum grauitatem, uitæ integritatem & multarum rerum uſum adtinet, Cato quiſpiam ſim, Libens tum conuitium illud tulero. Tertius è cœlo cecidit Cato. Hierony. Communis inter nos de impietate ac deprauatis moribus huius ſeculi quærimonia fuit. Ac quidem quū prodigia aliquot paſſim nunciari uterq; diceret, quibus tamen nemo ad pœnitentiam commoueatur, incidimus tandem hac ueluti occaſione, in humanæ corruptionis mentionē, quam adeo creſcere in dies, ne tu quidem negare poteſ. ut ni mature in uiam redeamus, metus ſit,

ne citius opinione supplicium de nobis sumatur. Dony. Ah, Semper Luterani nè cœlũ ruat timetis. Bernar. Merito sanè. An non enim omnem è Christianorum cordibus securitatem proflig itam uult Apostolus, ubi inquit, Cum dixerint Pax & Securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus? Profecto qui à securitate deterret tantopere, eum pœnitentiam quoq; ac uitæ totius immutationem requirere, non tantum ueri simile est. Aut tu putas hisce temporibus non opus esse pœnitentia? Dion. Serio perconctanti serio respondebitur. Video enim non licere meo mihi more ludere uobiscum. Pœnitentia maximè opus esset, si in pœnitentiæ doctrina nõ uariarent sententiæ. Aliter enim ea de re uos, aliter Papistæ mei docent, Iam tanta in docendo diuersitas, quem nõ negligentem ac oscitantem efficiat? Bernard. Cur igitur ad scripturæ spiritum non recurris, certissimum in hac controuersia iudicem? quiq; solus, Vtra pars recte uel doceat, uel sentiat, pronunciare potest? Dion. Scriptura absq; præuio & præmonstratore haud ita facile intelligitur

Securitas ab Apostolo damnata

telligit, uel Eunucho illo in Actis teste: & nõ cuiuis datũ est, iuxta Prouerbium: Nare sine cortice. Si qua igitur glossa opus est, ad patres confugio, à quorum sententia uideo alicubi abhorrere uos. Hierony. Atqui ueterum Prophecias neutiquam adspernamur, præsertim cũ dextræ scripturas interpretantur. Quis enim sic insaniat? Et tamen in uerba eorum iurare ubiq; non possumus, propterea quod fontium scaturigines, longe dulciores sunt lacunis & torrentibus turbidis. Diony. Tu igitur è scripturis germanam da finitionẽ Pœnitentiæ, quã tuto & amplecti & sequi queam. Hierony. Id quamquã Bernardum fœlitius atq; me facturum sciam, tamen quum me potissimum hic urgeas, fiat. Pœnitentiam scriptura uocat, Mori peccato, & uiuere iustitiæ. Est enim plane innouatio quædam uitæ per Christum, quam nisi uera á peccatis cõuersio precesserit, nequicquã pœnitentiam dixeris. Diony. Quid alij iudicaturi hic sint, nescio, mihi certè parum dilucide locutus es. Quid enim uocas. Mori peccato? Hierony. Peccato mori incipit, quisquis naturæ

Veterum autoritas.

poenitentia quid sit.

Mori peccato quid

ne citius opinione ſupplicium de nobis ſumatur. Dony. Ah, Semper Lutherani ne cœlũ ruat timetis. Bernar. Merito ſanè. An non enim omnem è Chriſtianorum cordibus ſecuritatem profligatam uult Apoſtolus, ubi inquit, Cum dixerint Pax & Securitas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus? Profecto qui à ſecuritate deterret tantopere, eum pœnitentiam quoq; ac uitæ totius immutationem requirere, non tantum ueriſimile eſt. Aut tu putas hiſce temporibus non opus eſſe pœnitentia? Dion. Serio perconctanti ſerio reſpondebitur. Video enim non licere meo mihi more ludere uobiſcum. Pœnitentia maxime opus eſſet, ſi in pœnitentiæ doctrina nõ uariarent ſententiæ. Aliter enim ea de re uos, aliter Papiſtæ mei docent, Iam tanta in docendo diuerſitas, quem nõ negligentem ac oſcitantem efficiat? Bernard. Cur igitur ad ſcripturæ ſpiritum non recurris, certiſſimum in hac controuerſia iudicem? quiq; ſolus, Vtra pars recte uel doceat, uel ſentiat, pronunciare poteſt? Dion. Scriptura abſq; præmio & præmonſtratore haud ita facile intelligitur

Securitas ab Apoſtolo damnata

telligat, uel Eunucho illo in Actis teste: & nõ cuiuis datũ est, iuxta Prouerbium: Nare sine cortice. Si qua igitur glossa opus est, ad patres confugio, à quorum sententia uideo alicubi abhorrere uos. Hieron. Atqui ueterum Prophecias neutiquam adspernamur, præsertim cũ de ex re scripturas interpretantur. Quis enim sic insanit? Et tamen in uerba eorum iurare ubiq; non possumus, propterea quod fontium scaturigines, longe dulciores sunt lacunis & torrentibus turbidis. Diony. Tu igitur è scripturis germanam da finitionẽ Pœnitentiæ, quã tuto & amplecti & sequi queam. Hieron. Id quam quã Bernardum fœlitius atq; me facturum sciam, tamen quum me potissimum hic urgeas, fiat. Pœnitentiam scriptura uocat, Mori peccato, & uiuere iustitiæ. Est enim plane innouatio quædam uitæ per Christum, quam nisi uera á peccatis cõuersio preceſſerit, nequicquã pœnitentiam dixeris. Diony. Quid alij iudicaturi hic sint, nescio, mihi certè parum dilucide locutus es. Quid enim uocas. Mori peccato? Hieron. Peccato mori incipit, quisquis naturæ

Veterum autoritas.

Pœnitentia quid sit.

Mori peccato quid

ſuæ cum fœditatem tum corruptionem agnoſcit, odit, deteſtatur. Quàm enim natura & ad peccandum prona eſt, & ad omnia uicia præceps ruit, tam oportet & in pœnitentis animo peccati non deeſſe odium. Atq; hoc ipſum odium, terrorem habet, adflictionem habet, cruciatum habet. Breuiter, Anxietatem pro peccato habet. Quod ipſum cõteri ac mortificari eſt Dionyſius. Si adſequor quod dicis. hoc tibi uis, ut peccatum & agnoſcam & deteſter. Hiero. Hoc uolo, Diony. Quæ res autem odium in animis hominum huiuſmodi excuſcitat? Hiero. Legis prædicatio, uel Paulo teſte. Sic enim inquit: Per legem cognitio peccati. Porrò ubi Lex urgetur, ibi in ſui cognitionem homines, neu ſuperbire, neue fidere proprijs uiribus pergant, pertrahũtur. Pertracti in ſui cognitionẽ demiſſis criſtis humiliãtur. Humiliati, uere peccatores ſeſe confitentur, adeòq; peccatum, ex animo deteſtantur, quod ipſum tum demũ eſt, peccato incipere mori. Bernard. Scripturas forſan, quibus prima hæc pœnitentiæ pars muniatur, requirit. Diony. Requiro, fateor. Hiero.

Mortificari uel Conteri, quid.

Legis officium.

Diligentes

Diligentes sunt in hac pœnitentiæ parte tradenda prophetæ. Cæteros tacebo, Esaiam & Ezechielem citasse cõtentus. Derelinquat, inquit Esaias, impius uiam suam, & unusquisq; iniquitatem cogitationum suarũ, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum suum, quia multus erit ad propiciandũ. Hic obseruabis. Resipiscentiam impij à uia sua mala, atq; adeo reuersionem ad Dominum requiri. Iam resipiscere, cogitationum iniquitatẽ derelinquere, ádq; Dominum reuerti, quid aliud est, atq; peccato, quod agnoris, incipere mori? Quod uero sequitur: Miserebitur eius, & multus erit ad propiciandum, ad eam pœnitentiæ partem pertinet, de qua post dicturi sumus. In hanc sententiam Ezechiel quoq; dicit: Si impius egerit pœnitentiam. ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiã, uita uiuet, & non morietur. Omnium iniquitatum, quas operatus est non recordabor. Numqd uoluntatis meæ est mors impij, & nõ ut cõuertatur à uijs suis, & uiuat? Principio hic, ut

Resipiscentia.

pœnitentiam agamus, ut resipiscamus, ut præceptorum Dei obseruantes simus, iubemur. Quodipsum, peccatũ ostendere, & mortificationẽ prædicare est, deinde cõuersis ac pœnitentib⁹ uita pmittitur, ac omniũ anteactorum peccatorũ obliuio, id quod ad uiuificationem pertinet. Non aliter Ioannẽ ac Christũ quoq; conciones suas ordiri uides, cum clamant. Resipiscite, pœnitentiam agite. Quin idem Christus hoc pacto pœnitentiam deprædicari iubet omnibus gentibus. Quid multis? Qui furatus est, inquit Paulus, non furetur amplius. Diony. Nihil est, quod in prima hac pœnitiæ parte calumniari queam. Proinde iam nunc, quid iustitiæ uiuere sit audire libet. Hiero. Iustitiæ uiuere incipit, quisquis agnito peccato, ad Christum, perinde ac agnũ totius orbis peccata tollentem, confugit, ab illo in huiusmodi conscientiæ terroribus, spem, cõsilium, & auxilium expetens, illi fidens, adeoq; in illum reiciens sese. Nam hoc animo, hac fiducia, quotquot adhunc ceu portum, sacramq; adeo ancoram, confugiunt, certi de auxilio, quod tot promissionibus

uera doctrina pœnitentiæ.

Iustitiæ uiuere quid sit.

in

in Euangelio ultro nobis obtulit, eos non ſolum à peccatis certo liberabit, uerametiam ſpiritu quoq; ſuo donabit, cuius ductu ac auſpicio ueterem hominem deponant, priſtinam conuerſationem in melius commutent, peccatorum affectus frenent, nouaq; adeo creatura, quæ ad Euangelicæ doctrinæ præſcriptum uitam inſtituat, fiant. Atq; hoc tum demum eſt, iuſticiæ uiuere, iuxta partem pœnitentiæ alterã. Diony. Rogo ut ne ægre feras, ſi te ad repetitionẽ earũ rerũ, de quib⁹ inſtituta nobis diſputatio eſt adegero. Fui enim huiꝰ doctrinæ antehac oſor (cur nõ ingenue errorẽ fatear?) quã tamen nũc ſaniorẽ intelligo, quàm ut damnari mereatur. Facis, ni male memini, pœnitentiæ partes duas, Principio peccati agnitionem, deinde fidem in Chriſtum, qui non ſolum peccatum condonet, ſed ſpiritũ quoq;, qui nouorũ in cordibus noſtris motuum autor ſit, largiatur. Hiero. Recte Diony. Cur non addis tertiam partem? fructꝰ nimirum pœnitentia dignos? Dicam enim ingenue, Multos à ſodalitio ueſtro alienauit hactenus, quòd ueluti religione quadam attacti, à doctrina

Pœnitentiæ partes duæ.

doctrina operum, in uniuersum abstinere, uisi estis, quum tamen constet, opera quoq; ex fide dimanantia ad salutem necessaria esse. Hiero. Ab huiusmodi uocibus (opera ad salutem necessaria sunt) iure quodam nostro ac merito abstinemus. Neq; enim flare hic sorbereq; simul iuxta prouerbium possumus, Hoc est. Quod fidei acceptum, consentientibus undiq; scripturis, refertur, idem operibus tribui non potest, ne pro una iustificationis uia, plures agnoscere uideamur & tamen si recte obseruasti, operum quoq; iusticiam confessi sumus. An nõ diximus enim, fide adprehendi Euangelium? fide impetrari remissionem peccatorum? fidem præterea ad Euangelicam doctrinã mores & uitam componere? Dioni. Omnia quantũ audio fidei adsignari oportet, peccatorum uidelicet remissionem, iustificationẽ & uitam æternam. Hiero. Maxime neq; enim aliter ea de re loqui, ac Euãgelicæ litteræ loquuntur, possumus. Diony. Qui fit igitur, ut Matth. uicesimo quinto Christus operum rationem in extremo illo iudicio, habiturum dicat sese, fidei interim nullam mentionem

Fides in iustificationis negotio regnat.

Operum iustitia

tionem faciens? Hierony. De operibus alias confabulabimur, In præsentiarum satis erit admonuisse, opera istæc non laudari hoc nomine, quod salutem adferant, sed quod fidei, e qua manarunt, certissimi testes sint: Quemadmodum enim a fructibus arbor, bona ne sit an secus, item ab unguibus leo, dinoscitur. Ita a charitatis operibus fides quoq; æstimatur, Et tu toto, quod aiunt cœlo erras, quod fidei nullam mentionem fieri istic arbitraris, an non enim in eodem capite, Venite, inquit Christus, benedicti patris mei, & possidete regnum, quod ab æterno uobis paratum est? Qui e diffidentia laborant adeoq; peccatis obnoxij sunt, ij maledictioni quoq; obnoxij sint oportet, Verum ne id est? Dionysi. Non reclamo, Hieron. Iam maledictioni per Antitheſin, benedicto in scripturis opponitur, id quoq; negare haud potes, Dioni. Nõ nego, Hierony. Qui benedicti igitur sunt, per quem obsecro in illam ipsam benedictionẽ adseruntur? Num per semen illud Abrahæ, de quo dicitur, In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ? Diony. fateor. Hierony. At uero promissi-

Cur opera in scripturis passim cõmendentur.

Benedictio Maledictio.

promiſsiones diuinæ, noui pariter & ueteris inſtrumenti, fide adprehenduntur an operibus? Diony. Non dubium quin fide. Bernar. Probe, ſic enim habet Epiſtola ad Hebreos. Sancti per fidem uicerunt regna, operati ſunt iuſticiam, adſecuti ſunt promiſsiones, Hierony. Qui benedictorũ igitur nomine cenſentur, ij in credentiũ quoq; numero habeantur, neceſſum eſt. Quin hæc quoq; uerba, poſsidete regnum ab æterno paratum uobis, fidem ſpirant. Quod enim antea quàm ullius hominis extaret meritum paratum eſt, id quo pacto uiribus ac meritis noſtris parari poſsit, haud uideo. Quis igit fide opus hic eſſe non fateatur? Diony. Magnũ fidei audio Encomion. Bernar. Imò pro dignitate hæc ipſa (neq; enim Hiſtoricã illam de Chriſto notitiã intelligimus) nunquam ſatis laudata eſt hactenus. Diony. Quid Luterani fidem uocatis? Hieron. Adſentiri promiſsionibus, in quibus propiciũ ſe nobis futurum Deus pollicetur propter Chriſtum. Sic enim fidem ferè diffinit Philippus noſter. Diony. Qui fit, ut Philippo tàm conſtanter ubiq; adhæreſcas? Hier.

Fides quid ſit.

Quòd

Quòd dextre ubiq; ac fœliciter euãgelicas interpretaꝰ literas. Ad hæc Fabij illud noſti? Vix dici poteſt, quãto libentius eos imitemur quib⁹ fauemus. Dion. Fides igitur illa quã pmiſſionibus diuinis adſentire dicis, ſola ſaluat & iuſtificat? Hiero. Iuſtificat, iuxta illud, Ei qui nõ operatur ſed credit in eũ qui iuſtificat impiũ, imputatur fides ſua ad iuſticiam. Diony. Atqui ſunt qui eam uoculam, Sola, ueutiquã in hoc negocio admittendam cenſent, ut quam textus nuſquam habeat. Hiero. Qui ſic iudicant, eos ego latinæ locutionis, latinę autem? imò & Germanicæ prorſus ignaros eſſe arbitror. Perinde enim eſt, ſiue dicas, fides iuſtificat, ſiue dicas, ſola fides iuſtificat. Quemadmodum idem eſt, ſiue dicas dominũ deũ tuũ adorabis. ſiue dicas, Solũ deũ adorabis. Sed cur nõ æqua lance Moſi uerba expendimus? Habet autem Textus ad hunc modũ, Dominũ deũ tuum adorabis, & illum ſolum coles, duas partes præceptum hoc habet. Prior adorationem Dei tradit, altera cultum præcipit. Iam quemadmodum poſterior pars particulam hanc, ſolum, habet, ita prior

Quintiliani ſententia.

Paulus ad Romã.

De uocula ſola.

prior quoq; eandem recipiat neceſſum eſt, quũ deus non tã coli ſolus quàm adorari ſoluş uelit Ad hũc modum de fide quoq; iudicandum eſt, nimirum quod ſola iuſtificet, ſiue uocabulum, ſola, addas ſiue non addas. Quum enim ſcriptura dicat, Exaltari oportet filiũ hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed uitam æternam habeat, quis hic non uidet, fidem requiri, preterea nihil? Loquimur autem ferè de ea fiducia, quæ ut in iuſtificationis cauſa ſola regnat, adeoq; miſericordia ceu obiecto nititur, ita bonis quoq; operibus fæcunda eſt. Dionyſi. Tametſi eorum mihi ſententia arriſit hactenus, qui ita demũ fidem iuſtificare ſcripſerũt, ſi opera quoq; huc accederent, tamen rei ueritate uictus, in tuam nũc eo pedibus ſententiam Hierony. Illorum ſententia ut a ſcripturis alienа eſt, ita ferri nullo pacto poteſt. Si opera enim in iuſtificationis cauſam admittas, iam protinus incerta reddetur, propterea quod & opponi iræ ac iudicio dei nequeant, & nemo tantum quantum debeat operetur. Adhæc fruſtra ἀλληφορίαν Paul. iactat, ſi ullum in iuſtificationis ne-

Fides quomodo apud Lutheranos accipiatur.

nis negotio locum adsignes operibus, Breuiter fides, hoc est, certa illa & constans in Christum fiducia saluat & iustificat. Opera uero in hoc solum adhibentur, ut uerum esse in cordibus nostris fidem declarent. Diony. Belle profecto hisce de rebus disseris, sed utinam in sodalicii uestri homines non competat, quod Cleanthes Assius dicere solebat Peripateticis accidere. Eos enim lyræ similes esse qů quum alijs bene sonet seipsam tamen non audiat. Sentiens preclare Peripateticos docere, sed uitã a doctrina longe latea. dissidere Hieron. Cibos nõ ideo adspernamur teste fabio. quod ualetudinis aliquando causas attulerint, & tecta nihilominus subimus etiamsi aliquando super habitãtes procubuerint. Adhunmodum de nostris quoq; iudicandum est. fac enim esse plerosq; in orege nostro improbos: quid? Euãgelica doctrina abutantur quis negat? Sed tamen, cur quorundam improbitas omnibus imputari debeat, nõ uideo. Bernardus. Imò impudenter nostros incusint. qui ipsi a nullo flagitiorum abhorrẽt genere. Dionysius. Vtrinq; peccatores sumus.

Operum ratio.

Cleanthes

Quintilianus.

Hierony. Id censores quoq; istos meminisse oportuit. Neq; enim abs re principio diximus, Maximopere pœnitentia hisce temporibus opus esse. Bern. Peccatores sumus. Recte, Melior tamen hac in re caussa nostra est, ac Papistarum, quod lapsi & resurgimus subito & peccatorum remissio unde petenda sit nõ ignoramus. Diony. Fateor. Hiero. Quid? Ego me ad uxorem confero cœnaturus, quidq; liberi mei agant uisurus. Satis diu & antea abfui, & uos iam me detinuistis. Dionysi. Ego quoq; cœptum iter persequar, aliàs copiosius hisce de rebus uobiscum collocuturus. Bernardus. Et me aliò rapiunt negocia, Proinde Valete.

COLLOQVIVM DE CHAritate & Bonis Operibus.

Fabianus. Georgius.

EC quid hodie boni Georgi operatus es? Georgius. Equidem bonis operibus semper me intentum esse decuit, Sed remoratur

hic

hic me, quis nescio malus genius, ita ut ad pietatis exercitia toties accingi non possim, quoties à Satana iam iam boni aliquid meditatus, transuersus rapior. Fabia. Satanam igitur non nosti? Solet ueterator ille pios conatus remorari, adeoq; ijs qui ad pietatis opera accingun- satan
tur facessere negocium, ut qui tum se officio operum
egregie functum putet, si & charitatis opera hostis.
ubiq; impediat, & contrà, totum orbem, peccatis, flagicijs, criminibusq; inundet & cõpleat. At nos hic uicissim contra illius insidias & excubare & instructos esse conuenit, ne uicti uel ea designemus, quæ parum digna sint Christiano nomine, uel gloriandi de nobis caussam, quod nullo negocio nos uicerit, impostori isti præbeamus. Georg. Id quidem æquum erat. Sed quis in tanta sceleratorũ hominũ turba, memor officij semper esse potest? Sæpe inuitis nobis, ac nihil tale expectantib⁹ delinquendi suppeditat occasio. Fab. Scio permulta esse, quæ ab instituto ac benefaciendi ꝓposito hominis animũ reuocare adq; praua studia illectare consue

caro pec catum. Mundus ſatan.

uerũt. Nã hoſtis hic ẽ domeſtica caro. Agnatũ carni peccatum, mundus ipſe, ac mundi huius princeps Satanas. At niſi eſſet, qui cum iugiter congrederemur, nunquam uel fides noſtra probari, uel victoria quam ex ea lucta reportare ſolemus, in cõſpicuo poni poſſet. Sed quæ te hodie ſaga, qu ſúe malus genius à benefaciendi propoſito tranſuerſum egit? Vultus ipſe ſolito pallidior, euenisſe aliquid tibi præter animi ſententiam arguit. Georgi. Conſobrinum meum noſti Conradum Rincium? Fabianus. Iſtum ne, qui paupertate nuper ac creditorum uiolentia tyrannideq; coactus ædes uẽdidit? Adq; extremam breui inopiam uenturus, ni benignior fortunæ aura alicunde adfulgeat, creditur? Georgius. Illum ipſum. Fabia. Quam tibi miſer ille ſuccenſendi occaſionem preſtare potuit? Georg. Aureum homini ante biennium dederam mutuo. Quem quum ſæpius admonitus reddere neglexiſſet, tandem duriuſcule debitum hodie repoſcenti, pro pecunia lachrymas numerauit. Et niſi honeſti ratio aliud ſuaſiſſet, ego illi uiciſsim pugnos aliquot in buccam nu-

Deſcriptio hominis inhumani

mera?

meraturus eram. Adeo me pœnituit male collocati beneficij. Fab. Ah, in re leuicula, homo tam opulentus, homini ter misero, succensere potuisti? Geor. Quid ni? Aut mihi repetere non licet te iudice quod meum est? Aut non satis diu pecunia mea carere coactus sum? Fab. Dic mihi bona fide, Quot liberos habet? Georgi. Octo opinor. Fab. Honesta ne uxor est, è qua istos sustulit an secus? Georg. Vxoris fama integra est. Fabi. Quid uir ipse, Aleam ludit? scortatur? obsonat? potat? olet unguenta? improbus aut otio deditus est? Geogi. Vitam illius nec incuso, nec si uelim iure incusare queam. Solum quod meum est repeto. Fab. Quanto satius erat, mi Georgi, Euangelici istius patrisfamilias exemplo, totum debitum supplici condonare, atq; miserum hominem tàm acerbe compellatum miseriorem etiam reddere. Imò priori aureo alterum etiam addere debebas, adq; educationem liberorum tot modis adflicto elargiri. Neq; enim perpendis, utpote esuriem nunquã perpessus, quàm sit graue onus pauperies. Georg. Næ tu homo lepidus es & bel-

Ingens onus pauperi os.

bellus. Egon meum fraudans genium, famelici iſtius rationem potius habeam, ac meorum domeſticorum? Id ne autor es mihi? Fabianus, Si ſanguinis ius ſpectes, poteſt & hic inter domeſticos tuos numerari. Georgius. Tunica quod dicitur pallio eſt propior. Equidem ſanguine mihi coniunctus eſt. Quis negat? Sed tamen coniunctiores ſunt, uxor ac liberi, quorum curam ni ſuſciperem paternæ hereditatis decoctor uideri poſſem. Fabianus. Curam pro uxore ac liberis laudo, ſed tamen quum egregie nummatus ſis, neq; metus ſit, ne algere tui unquam poſſint, nolim huiuſmodi curam cum iniuria alterius coniunctam eſſe. Quin potius Terentiani illius fac memineris. Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum. Eam enim ſententiam, ſi quis dextre interpretetur & in meliorem partem accipiat, quid uel rectius uel magis pium dici poterat? uere enim diuitias cumulant, qui pauperum inopiam copia ſua ſubleuant. Georgius, Interim euacuato marſupio bona mihi mea pereunt, Fabian. Non omnino perit quod in cœleſtibus loculis reponitur

ueræ diuitiæ.

ac recon-

ac reconditur, ueluti Christus quoq; ait. Ne re
ponatis uobis thesauros in terra ubi erugo &
tinea corrumpit & ubi fures persodiunt & in-
uncant, sed recondite uobis thesauros in cœlo
ubi neq; erugo neq; tinea corrumpit, & ubi fu-
res non persodiunt nec furantur, Nam ubi fue-
rit thesaurus tuus ibi erit & cor tuum Sed heus
tu, cum nunquã non garrias de bonis operibus Bonoperarius.
Cur saltem uel illa opera Christianus nõ præ-
stas, quæ Ethnici etiam præstiterunt? Alexan-
der enim magnus interrogatus ubi reponeret
suos thesauros. Apud amicos inquit. Et Artax
erxes Longimanus dicere solebat, Regalius es
se addere, quàm adimere. Pion preterea borist
henites dicebat, Optabilius esse suã messem al
teri largiri, quam alienã decerpere, Geo. Quæ
si uero antea non dixerim me id tentum repos-
cere quod meũ sit, Et quis alienã messem deme
tere cupiat? Fa. Atqui ne id quidẽ tuũ est, quod
perinde atq; œconomus prudẽs in usum paupe
rũ erogare iussus es. Ge. Obtũdis, ego turbã is
tã famelicorũ exaciare unus nõ possum, habẽt
integras uires his ad depellendũ famis malum

Falsa de operibus persuasio.

utãtur. Quod ad bona opra attinet, Sacrifico hodie sacrũ habẽti adstiti Frãciscanis panes aliquot elargitus sum, Vespertinis quoq; cantionibus posi interfuturus, Fabia. Heccine tu opera grata deo futura putas? Quia ergo peculiare habet, male intellecta uerba, male percensenti adstare sacrifico? Aut quale pietatis genus est Elemosynam monachis largiri, adstiuam aptioribus ac ad religionem? Apage in alium orbẽ istam tuam hypocrisin. Georgius. Quid ergo tu uocas bonum opus? Fabianus, Bonum opus

Bonũ opus quid sit.

scriptura uocat, quicquid & præceptum dei habet & egenis calamitosisq; propter Christum impenditur, & huiusmodi opera adeo seuere scriptura exigit, ut ea adsint, deq; fide nostra testificentur, cœtera pietatis exercitia parui apuddeum momenti futura sint. Georgius. Non satis quod dicis intelligo, Fabian. Apertius igitur me uis rem ipsam proloqui? Georgi. olo Fabianus, Egregium pietatis exercitium est, si

usus ieiunii apud ueteres.

quis ieiunet, hoc est. Si quis asotiam detestatus continenter, quo commodius orationi uacet, uiuat, Neq; enim ueteres ieiunio aliter usi sunt.

Georgi.

Georgius. Recte. Fabianus, Atqui hoc ipsum Ieiunii̅ si nō charitatis opera cōiuncta habeat, hacq; ueluti illecebra condiatur. àdeo deo non probatur, ut uehementer etiam eidem inuisum sit. Sic enim Esaias inquit. Nonne hoc est Ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis. Solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirũpe, frange esurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domum tuam, & carnem tuam ne despexeris. Ex ijs Esa. uerbis liquet. Bonum opus non esse, si pharisaico more statis quibusdam diebus ab esu carnium abstineat non deposito rancore, inuidia, odioq; erga proximũ, sed illos demum Ieiunare uere, adeoq; operari bene, qui debitoribus remittant, qui pauperes nō opprimant, qui liberales sint erga calamitosos, Deniq; qui erga omnes sint benefici, Georgi. Ego profecto adfectus ita nondum sum, Fabia. A uera igitur fide uacas, Ea enim ut deum uere timet, ut deo uere credit, ut deum in omnibus adflictionibus inuocat, ut deo pro omnibus beneficijs indesinenter gratias agit, ita uel in pri

Charitatis operã

mis ferax est charitatis erga proximum, cuius commodis non aliter ac proprijs studet. Atq; hanc charitatem ita effert Apostolus in priore ad Corinthios Epistola, ut nostro Encomio maximopere non egeat. Georg. Si hæc ita habent iam profecto inciuiliter tractaui meum Rincium. Fabia. Adde parum Christianæ & tyrannicæ. Charitas enim benigna est, paciens est, non querit quæ sua sunt, cætera nosti. Georg. Quid si erratum hoc, officio quopiam compensem? Fabi. Id si facis, iure facis. Geor. Principio debitum illi condono. Fabi. Laudo. Georgi. Deinde aureum priori addam? Fabianus. Liberaliter. Geor. Postremo liberalitatem meam in se nunquam claudi sentiet. Ecquid uis amplius? Volo & ego posthac, propicio Christo, frugi esse. Fabi. Vide ut hunc animum retineas, neq; facile rursus ad sacrificulos tuos ac Franciscanos respicias. Non, quærunt illi animæ tuæ commodum sed suum lucrum. Neque enim pastores sed Lupi sunt. Georgius. De istis post uidero, iam mihi aliam obtulisti querendi occasionem, Cum enim

Persona pœnitẽs.

de

de bonis, hoc est, charitatis operibus, breuiter quidem meo iudicio & tamen pie disserueris, adeoq; qualia sint, quæ uere bona dici possint, ostenderis, cupio iam nunc de alijs quoq; pietatis exercitijs audire sententiam tuam. Prodijt enim ante triennium libellus Mustelæ cuiusdã, qui quum multis scripturæ testimonijs in acerruum congestis, additisq; interpolationibus ostendere conaretur, opera ad salutẽ esse necessaria, interim nec finitionem boni operis addens. nec discrimen inter charitatis opera, inter Ecclesiastica exercitia, & inter politicam iusticiam statuens, curam mihi iniecit oblata aliquando occasione sollicitius hisce de rebus percũctandi, Fa. Contẽptis animalculi istius nugis, ante omnia uide sis caueas, ut ne in iustificationis negotio a scopo aberres, id quod tũ cauebis, si Paulina illa Enthymemata semper ob oculos habeas, Si ex operibꝰ est iusticia, frustra igit̃ Christus mortuus est. Item. Lex irã operat̃. Ergo nõ iustificat. post enim facile iudicabis de operibꝰ Principio charitatis opera in scripturis cõmendant̃. Atq; ea potissimũ beneficẽtia constãt erga proxi

Georgi. uuicel.

Charitatis operor.

ga proximũ Ita ut nõ ſolum amicos uerũetiam inimicos amem⁹ beneficẽtiæ imbre eoſdẽ ſubin de perfundẽtes. Atq; de id genus operibus ſcriptura loquitur, quoties operum mentionem facit, id quod uides in Actis Apoſtolicis de Tabitha. Iam quod ad exercitia eccleſiaſtica adtinet. Habet ſuas Eccleſia cæremonias, quæ ſi cum uerbo Dei non pugnant, neq; laqueum injciunt conſcientijs, iam ſeruari (ut exercitium inuentus habeat) & poſſunt & debent. Nam adſuefacienda omnino inuentus eſt ad diſciplinam, non ad ineptam illam quam male feriati Monachi & Epiſcopi commenti ſunt, ſed quæ & Euangelicis literis conſentiat maxime & honeſtatem Chriſtianis dignam coniunctam habeat. Atq; de hoc Cæremoniarum genere Paulus intelligendus eſt, ubi inquit, Omnia ordine apud uos fiant. Sin uero cum uerbo Dei pugnant, quales ſunt benedictiones illæ cæreorum, ſalis, aquæ, palmarum, cinerum, herbarũ ac alia infinita, iam confidenter reijciendæ ac contemnendæ ſunt. Neq; enim poteſtatem Eccleſia habet, diuerſum aliquid à ſcripturis ſta-

Eccleſiaſtica exercitia.

Eccleſiæ poteſtas

tuendi

tuendi. Quid dicam de politicis operibus? Ea à Lutero, ac alijs ita illustrata sunt, adeoq; uulgo commendata, ut nihil ea in re desyderari possit. Geor. Quibus rebus igitur constant? Fabi. Vt magistratum, perinde ac dei ministrum reuereare, ut in ijs, quæ & ad ciuilis iustitiæ & humanæ societatis conseruationem faciunt dicto audiens sis, ut legibus ac moribus eorum quib⁹ cum uiuis te per omnia accommodes, huc eum prouerbiũ illud pertinet, Νόμῳ καὶ χώρᾳ. Quid? Odiosum prorsus hominum genus est, qui magistratui ac legibus parere recusant, id quod Aristoteles quoq; sensisse uidetur, qui Atheniensibus hoc nomine taxauit, quod quum leges ac frumenta inuenissent, frumentis uterentur, legibus non item. Georgi. Non tam male quantum audio de operibus docetis Luterani, quã sacrificorum fex passim de uobis loquitur. Quod si quis rem probe expendat, palam fiet, cur obtrectatores doctrinæ uestræ esse malint quàm æqui æstimatores. Neq; enim alia de caussa doctrinam uestram damnant, quàm quod iustitiã operibus detrahitis. Fabia. Atqui nisi istud fiat, constare

Νόμῳ καὶ χώρᾳ.

Athenienses taxati ab Aristo.

constare gloria Christi haud poterit. Quanquam cur non animaduertunt, duplex iusticiæ genus à nobis tradi? Internum uidelicet ac Politicum. Politicam iustitiam haud illibenter operibus adscribimus, ut quam absq; motibus spiritus, carnales quoq; homines præstare queant At uero internam, non nisi fidei acceptam referre possumus, ut quæ sola misericordiam in Christo adprehendat, Adeóq; peccatorum remissionem, iustitiam ac uitam æternam impetret. Hæc aduersarij nostri nec norunt nec intelligere possunt. Georg. Ego quoq; de uobis hactenus haud ita sensi candidæ, propterea quod ipse libros uestros non degustabam, sed ijs tantum, qui mutilatas sententias ad calumniandum inde excerpebant, fidem stulte habebã Sed non ero posthac ad damnandum facilis, Thessalonicensium exemplum imitatus, qui quum Apostolum concionantem audissent, nõ statim quod audierant, proscindebant, sed ad legem ac prophetas confugientes, uera ne an falsa docerentur expendebant. Fab. Quotquot positis adfectibus de doctrina nostra iudicium

Stultum est damnare quod nõ legeris.

fecerint

fecerint, ij uera apud nos tradi facile fatebuntur. Faxit tantū Deus, ut quod recte docemus, re quoq; ipsa tandem præstemus. Georgi. Id quidem adsiduis præcibus ac uotis a Deo petendum est.

COLLOQVIVM. DE CRVCE Et spe in adflictionibus.

Hybernius. Trygophorus.

SIccine ais Trygophore, egisse tādem animā Briccij nostri socrum? Trygophorus, Aio. Hyber. Neq; minore constantia extremum illum mortis punctum expectasse, ac diutinas illas corporis infirmitates antea tulerat? Trygo. Non tàm constanti uultu cicutā Diogenes moriturus bibit, quàm hæc mortis tempus solita alacritate expectare uisa est, Ad epulas ac lusum, non ad mortem properare diceres. Hyb. Mirum ni ad cœlestes illas epulas properauit, quas tum Clementissimus Dominus est daturus, cum accumbentibus in regno cœlorum fidelibus, ipse succinctus ministrum aget. Trygo. Ita opinor. Et ego optimæ fœminæ tantum abest

Cœlestes epulas.

abeſt, ut eam fœlicitatem inuideam, ut etiam mihi ipſi accidiſſe putem. Nihil huius eidem Chriſti munere cõtigit. Hyber. Recte, ſic enim nos decet in beatorum numerum receptæ congratulari, cui toties in uita cõpaſſi ſumus. Quid enim illa dum uiueret uel calamitoſius fuit uel æque miſerum? Si tamen miſerum apud Chriſtianos eſſe debet, in hac uita cum ærumnarum uarietate luctari. Trygo. Aerumnas illius Hyberinæ aliqua ex parte compertas habes, eoq; iuxta humanum iudicium miſeram hic fuiſſe fateris. At ſi totum uitæ eius curſum audias, tum uero magis id dices. Ab ipſis incunabulis huiuſmodi aduerſitatum procellis iactata eſt. Principio, quum annũ nondũ ſupergreſſa eſſet ſeptimum, orbata eſt utroq; parente. Hyber. Parentibus orbari non eſt leuis infelicitas, imò neſcio an maius incommodum in hac uita obtingere poſſit homini. Trygo. Nihil falleris. In fœlicitas enim hæc quod noſtri tanta eſt, ut etiã peculiari præcepto id genus homines ab iniuria Deus uindicare dignetur. Adde, quod pupillorum, orphanorum ac uiduarum protectorem

Deſcriptio adflictæ iuxta ac patientis perſonæ.

rem se & patrem in scripturis subinde nominat. Hyber. Nimirum declarare hoc ueluti certissimo argumento uult, quod nunquam non ꝓ misero hoc hominum genere sollicitus sit, præterea lædi, quoties è pusillis illis unus aliquis lædatur. Trygo. Iam quanta hic perpessam putas, antea quàm ad nubiles annos perueniret? Hyber. Permulta indubie, propterea quod ab iniurijs ætas illa tueri semet nõ potest. Trygo. Tandem & uirum nacta est ter pessimum, hoc est, ganeonem, lurconem, comedonem, uentrẽ aleatorem, iracundum, morosum, intractabilem, dei ac omnis honestatis contemptorem, & in quem potissimum mimus ille Prouerbialis, competebat. Nullus, malus, manus, piscis. Hyber. Hominem mihi profecto malum describis, adeoq; dignum, quem Amphiarai exemplo terra absorbeat. Trygo. Certe cum huiusmodi monstro ac ingenio conflictari, & tamẽ uel ad impacientiam, uel aliâs malas artes non adigi, raræ cuiusdam probitatis indicium est. Trygo. Tulit Diogenes domi uxorem iracundam & rixosam. Hic contra frugi mulier domi

Deus ad flictorũ pater.

Infelix coniugium.

Amphiaraus.

Diogenes.

tulit uirum improbum & nebulonem. Et quem admodum Herodes Sophista, Protheo Lynico sine fine ipsum conuitijs incessenti respondit, Cõsenuimus ambo. Tu quidem male loquens, ego male audiens. Ita illa ad omnes mariti iniurias & obduruerat & callum obduxerat, hoc tantum conquesta, quod saiutis nullam uir rationem haberet. Se æquissimo animo toleraturam omnia, modo is è consortio electorum non excludatur, id quod futurum sit, ni mature resipiscens, in uiam redeat. Hyber. Vtinã omnes sic adfectæ essent in uniuerso orbe erga maritos, fœminæ. Trygo. Postremo quum nullum uir finem insaniendi faceret, ab omnibus cognatis frustra admonitus ac increpitus, incidit tandem illa, siue deo sic uolente, siue nimio animi dolore propter mariti improbitatem confecta, primo in Pleuresin, deinde in perpetuum capitis dolorem, Postremo, in Apoplexiam. Hyb. O aiuinorum iudiciorũ profunditatem. Scortatus est uir, aleam lusit, nunquã non in multã noctem pergræcatus est, nec Deum nec homines unquam reueritus, & in hoc mundo prospere

Herodis sophistæ Apophthegma.

Bonæ mulieris exemplũ

Iudicia Dei.

ſpere egit. Contra, Dei timens uxor fuit, deo confiſa eſt, Deum in omnibus adflictionibus in uocauit, ipſa quoq; uitæ innocentia ac ſanctimonia fidem ſuam teſtata, & infæliciſſime in hoc mundo egit. Quis nunc Catonem de Pompeio dicere ſolitum miretur, in rebus diuinis multum eſſe caliginis, propterea quod eidem præter ius agenti fuiſſent proſpera omnia, cauſſam reipublicæ tuenti, nihil ſuccederet? Ego profecto cum ijs qui Deum ignorant, uel Deum ipſum iniuſtum iudicaturus eſſem, uel ipſam fuiſſe omnium peſſimam, ni probe illud tenerem. Quem diligit Dominus caſtigat, & quaſi pater in filio complacet ſibi. Trygophorus. Non defuerunt, crede mihi, qui optimam fœminam iniquiſſimis iuditijs hic proſcinderent, peccati pœnam eſſe, quod paciebatur, dictitantes. Hyberi. Non ſemper peccati pœna eſt, aduerſitas. Flagellat Deus peccatorem flagellat & iuſtificatã pſonã, ſed diuerſo fine. Peccatorẽ flagellat in hoc, ut ex aduerſitatib⁹ ac adflictiõib⁹ huiuſmodi, diuinã iram ac iudiciũ perdiſcẽs & ad pœnitentiã adigat, & ad miſericordiam

Catonis vitium

Heb. 12.

Alio fine pius alio impius flagellatur

implorãdam ueluti inflammet. Atq; huiusmodi flagellũ, iure eidẽ ac merito accidit, adeòq; digna meritis pœna ac legis maledictum appellari potest. At uero iustificatam personam, nõ iam propter impietatem aut peccatum adfligit, sed ut hac ueluti putatoria falce, & carnis nostræ reliquias, quæ spiritui negocium subinde facessere solent, resecet, & fidem nostram omnib⁹ commendabilem faciat. Trygoph. Recte hoc, Qui peccatum enim credentibus gratuito & propter Christum relaxat, idem pœnam quoq; peccati condonat. Hyber. De priore flagello intelligendus est Esdras ubi inquit: Quæ contingunt nobis, omnia fiunt propter opera nostra maligna, & magna peccata nostra. Alterum Christus ipse ad hunc modum describit. Beati qui persecutionem paciuntur propter iustiriam, quoniam ipsorum est regnum cœlorũ. Cui adstipulatus Paulus, Omnes, inquit, quotquot pie uiuere uoluerint in Christo, persecutionem patientur. Item Petrus. Nemo uestrum patiatur, ut fur uel homicida. Iam qui optimam mulierem, quæ egregium semper habuit ap::d omnes bonos fidei testimonium, hoc nomine proscin-

Putatoria falce.

Matth. 5.

2. Tim. 3.

1 Pet. 4.

proscindunt, quod ob flagitium aliquod aut facinus, tantas aduersitatum procellas experta sit, ij mihi parum scite de Christiana cruce disserere, & de peccati pœna iudicare uidentur. Quid? Ipsis etiam Ethnicis hic in iudicando iniquiores sunt. Macrobius enim non omnino diis inuisos esse pronunciauit, qui cum erumnarum uarietate luctentur, sed subesse arcanas causas, ad quas paucorum peruenerit curiositas. Egregia profecto sententia, adeòq; uel Christiano homine digna, si non aduersitatum causas ignorari, contra illud. Quem diligit Dominus castigat, addidisset. Trygo. Video hic & Hiobis amicos impegisse, qui à præsentibus malis argutantur Hiobem impium ac Deo inuisum esse oportere, tot modis adflictum & flagellatum, quod non nisi pessimum quemq; flagellare Deus soleat. Hyber. Vere impegerunt, id quod futurum non erat, si inter peccati pœnam ac Christianam Crucem probe discernere sciuissent, Christiana enim crux non est, quum propter impietatem nostram, aduersitatum undis, obruimur, sed cum bona Dei

Macrobij sentẽtia de aduersitatibus.

Argumẽtum amicorum Hiobis.

Crux Christiana quid.

uoluntate in hoc tentamur, ut fides nostra probatior fiat, & perpetuã inuocationis causſam habeamus, illud ante fidem, hoc poſt acceptum ſpiritum & fidem accidere ſolet, imò quicquid poſt acceptam fidem electis immittitur, non impietatis iam per fidem ablatæ ſupplicium, ſed probatio eſt ac gloriæ Dei inſtrumentum. Trygo. Finitio iſtæc placet, Sed quid potiſſimũ in ea Cruce quam Chriſtianam uocas, ſpectandum iudicas? Libet enim audire, an idem ac ego hic ſentias. Hyber. Sunt Epicuræi quidã, Qui caſu aduerſa contingere ſomniant. Sed eorum omnino repudianda eſt ſententia, principioq; ſtatuendũ, quod conſilio ac bona Dei uoluntate flagellemur, dictu enim mirum, quantum ſolatij hinc accedat pijs conſcientijs, ſi perſuaſæ ſint. Bona Dei uoluntate accidere, quicquid aduerſi ipſis accidat. Trygo. Recte, huc enim pertinet Pauli illud. A domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Hyberi. Deinde & hoc ſpectandum eſt, quo fine ſuos tentet dominus. Neq; enim adfligit, ut perdat, ſed ut inuocatus ſaluet ac adiuuet, iuxta illud. Caſti-

Quid ſpectandum ſit.

1 Cor. 11

gans

gans castigauit me dominus, & morti non tradidit me. Atq; hoc quotquot norunt, ij adflictionem non exitij ac iræ, sed gratiæ symbolo testimonioq; habent & amplectuntur. Trygo. Certum est, hunc finem spectare, magnum in adflictionibus solacium esse. Hyber. Postremo inuocatio huc accedere ac certa spes auxilij debet, quemadmodum psaltes dicit. Ad dominũ cum tribularer clamani, & exaudiuit me, præsertim cum ad eam rem peculiari cum præcepto tum promißione, inuitemur. Præceptum est, quod per os eiusdem Prophetæ dicitur: Inuoca me in die tribulationis. Promißio est, quod sequitur. Eruam te & honorificabis me. Præcepto ad inuocationem pertrahimur, promissione ad fidem inuitamur. Neq; enim ulla est in scripturis promißio, siue corporalium rerũ siue spiritualiũ, quàm nõ fide (id quod nosti) adprehendi oporteat. Atq; illa ipsa fides, ne in tẽtationib⁹ ad desperationẽ adigamur efficit, sola uictores facit, sola in adflictionib⁹ gloriat. Try. Cur fidei hic tribuis, quod spei in Episto. Rodicata tribuit Apostolus? Hyb. Propterea

psal. 118. Adflictio gratiæ signum.

psal 120.

psalm. 50.

promissiones fide adprehendũtur.

Rom. 5.

quod pro fide ſpes in ſcripturis ferè accipitur, ueluti in illo Dauidis. Beatus uir cuius eſt nomẽ domini ſpes eius & nõ reſpexit in uanitates & in ſanias falſas, & Paulus ipſe in Epiſtola ad Corint. priore, fidem ac ſpem ita cõnectit, ut facile adpareat, alterum ab altero ſeparari haud poſſe. Quãdo fidei igitur mentionẽ facio iam ſpem quoq; illam cuius ad Rom. apoſtolus meminit oportet intelligas, propterea quod res ſuapte natura coniunctiſſimæ ſeparari nulla ratione poſſunt. Imò quid aliud eſt ſpes atq; perpetua quædam fiditia & expectatio eorũ quæ promiſſa ſunt credẽtibus. Trigopho. Equidem Auguſtinum uideo in ea eſſe ſententia, ut ſine fide ſpem nullam eſſe arbitretur. Ego tamẽ aliquo uſq; diſcerni a ſpe fidẽ poſſe exiſtimo, ad hunc uidelicet modum. Fides reconciliationem adeoq; promiſſionem de euentu in præſentia accipit. Spes uero futurum euentum expectat, de quo adeo nõ dubitat, ut cum Auguſtino etiam dicere audeat, qui gaudet in ſpe, tenebit & rem. Qui autem ſpem non habet, ad rem non poterit peruenire. Hiberinus, Huiuſmodi diſcri

ſpes quid ſit.

Diſferimẽ fidei & ſpei.

men

mẽ haud ita grauate admitto, ut quod finitioni noſtræ non ſolum non aduerſetur uerumetiam modis omnibus conſentaneum ſit. Sed putas ne Briccij noſtri ſocrum hæc omnia in adflictionibus ſuis ſpectaſſe? Trygopho. Ea de re ut nullus dubito, ita gaudeo idẽ te de hiſce rebus ſentire atq; nos. Sepe mihi uox eius audita eſt, grauia quidem eſſe quæ patiatur. ſed tamen certo ſcire ſe, benigniſſimum patrem eſſe, adeoq; optime erga ſe adfectum, a quo ſic flagelletur. Et quoniam in hoc non flagellet ut perdat, declarari ijs ipſis adflictionibus animum eiuſdem patris erga ſe beneuolum. Quid dicam de inuocatione nominis domini adſidua? Semper deum neu ſe deſereret neue in impacientiæ coenum demergi pateretur ſeſe orabat, ſemper laudabat ſemper gracias agebat, ſemper diſſolui, ac eſſe cum Chriſto cupiebat, Et cum naturaliter impacientiam adflictio in animis hominum pariat, tamen ſola hæc ſub Cruce illa duriſſima pacienter ad uitæ finẽ uſq; perdurauit. Hyber- Hoc eſt quod Paulus dicit. Gloriamur ſuper adflictionibus, ſcientes quod adflictio pacienti

uox pia muliere digna.

Rom. 5.

am pariat paciẽtia uero probationẽ, ꝓbatio uero ſpem & ſpes non pudefacit. Atq; hoc pacitiæ genus Ethnici plane ignorarũt, etiamſi gloriæ ac immortalitatis ſtudio grauia plerumq; tormenta, graues præterea iniurias & pertulerint & ſuperarint, Trigopho. Ethnicorum pacientia ut maxime aduerſus corporis cruciatus ſubſtiterit, tamẽ aduerſus iram ac iudicium dei ſubſiſtere non potuit. Eſto enim quod Phocion ille Athenienſis quum capitis damnatus ad ſupplicũ duceretur, ac quodã poſt multa conuitia in faciẽ ſibi expuente pacitẽter reſponderit, An nõ hunc aliquis cõpeſcet indecore ſe gerẽtem? Attamẽ in conſcitiæ terroribus parũ hæc umbratica fortitudo ualitura fuit, Hyb. Et tamẽ fatẽtur hoc, egregium pacitiæ exẽplum fuiſſe fateamur oportet, ſi & ex fide dimanaſſet & cõiunctã ſpem habuiſſet, Trigo. Quando igitur Chriſtiani nõ externã tantũ uerumetiã internã quoq; iuſticiã preſtare iubemur æquũ eſt, ut ad id quod optimũ eſt. gracia dei adiuti, enitamur indeſinenter orantes, neu fides noſtra in adflictionibus neue ſpes neue pacientia in nobis minuantur

Ethnicorũ pacitẽtia fucata fuit.

Phocion.

nuãtur, sed pocius per Christi spiritũ maius ac perfectius robur in horas nãciscamur. Ita enim fiet, ut omnibus aduersitatibus ferendis pares reddamur, Hyber. Apud me nihil huius preter mittetur. Trigophor. Sed quo nunc iturus es? Hyberi. Lites sunt inter Cunradum Buntingũ, ac principis nostri pincernã, ob negatum uinũ maxime. eas compositurus sum, nam arbitrum me delegere. Trigopho. I & quod facere rogatus es, faustis auibus perage.

Quid in adflicti onibus orandũ.

GOLLOQVIVM DE Sacramentis in genere.

Gudenus. Egebertus.

AVDIO parrochum nostrum in genere de Sacramensis hodie concionatum esse, adeoq; usum eorundem ea modestia, eoq; artificio ob oculos omniũ posuisse, ut morosis, etiã auditoribus per omnia factũ sit satis cui cõcioni ut ni-

Crux Christiana quid.

uoluntate in hoc tentamur, ut fides nostra probatior fiat, & perpetuã inuocationis causſam habeamus, illud ante fidem, hoc poſt acceptum ſpiritum & fidem accidere ſolet, imò quicquid poſt acceptam fidem electis immittitur, non impietatis iam per fidem ablatæ ſupplicium, ſed probatio eſt ac gloriæ Dei inſtrumentum. Trygo. Finitio iſtæc placet, Sed quid potiſſimũ in ea Cruce quam Chriſtianam uocas, ſpectandum iudicas? Libet enim audire, an idem ac ego hic ſentias. Hyber. Sunt Epicuræi quidã, Qui caſu aduerſa contingere ſomniant. Sed eorum omnino repudianda eſt ſententia, principioq; ſtatuendũ, quod conſilio ac bona Dei uoluntate flagellemur, dictu enim mirum, quantum ſolatij hinc accedat pijs conſcientijs, ſi perſuaſæ ſint. Bona Dei uoluntate accidere, quicquid aduerſi ipſis accidat. Trygo. Recte, huc enim pertinet Pauli illud. A domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Hyberi. Deinde & hoc ſpectandum eſt, quo fine ſuos tentet dominus. Neq; enim adfligit, ut perdat, ſed ut inuocatus ſaluet ac adiuuet, iuxta illud. Caſti-

Quid ſpectandum ſit.

1 Cor. 11

gans

gans castigauit me dominus, & morti non tradidit me. Atq; hoc quotquot norunt, ij adflictionem non exitij ac iræ, sed gratiæ symbolo testimonioq; habent & amplectuntur. Trygo. Certum est, hunc finem spectare, magnum in adflictionibus solacium esse. Hyber. Postremo inuocatio huc accedere ac certa spes auxilij debet, quemadmodum psaltes dicit. Ad dominũ cum tribularer clamaui, & exaudiuit me, præsertim cum ad eam rem peculiari cum præcepto tum promißione, inuitemur. Præceptum est, quod per os eiusdem Prophetæ dicitur: Inuoca me in die tribulationis. Promißio est, quod sequitur. Eruam te & honorificabis me. Præcepto ad inuocationem pertrahimur, promißione ad fidem inuitamur. Neq; enim ulla est in scripturis promißio, siue corporalium rerũ siue spiritualiũ, quàm nõ fide (id quod nosti) adprehendi oporteat. Atq; illa ipsa fides, ne in tẽtationib⁹ ad desperationẽ adigamur efficit, sola uictores facit, sola in adflictionib⁹ gloriat. Try. Cur fidei hic tribuis, quod spei in Episto. Rodicata tribuit Apostolus? Hyb. Propterea

psal. 118. Adflictio gratiæ signum.

psal 120.

psalm. 50.

promissiones fide adprehendũtur.

Rom. 5.

quod pro fide spes in scripturis ferè accipitur, ueluti in illo Dauidis. Beatus uir cuius est nomẽ domini spes eius & nõ respexit in uanitates & in stultas falsas, & Paulus ipse in Epistola ad Corint. priore, fidem ac spem ita cõnectit, ut facile adpareat, alterum ab altero separari haud posse. Quãdo fidei igitur mentionẽ facio iam spem quoq; illam cuius ad Rom. apostolus meminit oportet intelligas, propterea quod res suapte natura coniunctissimæ separari nulla ratione possunt. Imò quid aliud est spes atq; perpetua quædam fiducia & expectatio eorũ quæ promissa sunt credẽtibus. Trigopho. Equidem Augustinum uideo in ea esse sententia, ut sine fide spem nullam esse arbitretur. Ego tamẽ aliquo usq; discerni a spe fidẽ posse existimo, ad hunc uidelicet modum. Fides reconciliationem adeoq; promissionem de euentu in præsentia accipit. Spes uero futurum euentum expectat, de quo adeo nõ dubitat, ut cum Augustino etiam dicere audeat, qui gaudet in spe, tenebit & rem. Qui autem spem non habet, ad rem non poterit peruenire. Hiberinus, Huiusmodi discri

men

spes quid sit.

Discrimẽ fidei & spei.

mẽ haud ita grauate admitto, ut quod finitioni nostræ non solum non aduersetur uerumetiam modis omnibus consentaneum sit. Sed putas ne Briccij nostri socrum hæc omnia in adflictionibus suis spectasse? Trygopho. Ea de re ut nullus dubito, ita gaudeo idẽ te de hisce rebus sentire atq; nos. Sepe mihi uox eius audita est, grauia quidem esse quæ patiatur. sed tamen certo scire se, benignissimum patrem esse, adeoq; optime erga se adfectum, a quo sic flagelletur. Et quoniam in hoc non flagellet ut perdat, declarari ijs ipsis adflictionibus animum eiusdem patris erga se beneuolum. Quid dicam de inuocatione nominis domini adsidua? Semper deum neu se desereret neue in impacientiæ coenum demergi pateretur sese orabat, semper laudabat semper gracias agebat, semper dissolui, ac esse cum Christo cupiebat, Et cum naturaliter impacientiam adflictio in animis hominum pariat, tamen sola hæc sub Cruce illa durissima pacienter ad uitæ finẽ usq; perdurauit. Hyber. Hoc est quod Paulus dicit. Gloriamur super adflictionibus, scientes quod adflictio pacienti

uox pia muliere digna. Rom. 5.

am pariat pacietia uero probationẽ, pbatio ue
ro ſpem & ſpes non pudefacit. Atq; hoc pacie
tiæ genus Ethnici plane ignorarũt, etiamſi glo
riæ ac immortalitatis ſtudio grauia plerumq;
tormenta, graues præterea iniurias & pertule
rint & ſuperarint, Trigopho. Ethnicorum pa
cientia ut maxime aduerſus corporis cruciatus
ſubſtiterit, tamẽ aduerſus iram ac iudicium dei
ſubſiſtere non potuit. Eſto enim quod Phocion
ille Athenienſis quum capitis damnatus ad ſup
pliciũ duceretur, ac quodã poſt multa conuitia
in faciẽ ſibi expuente pacieter reſponderit, An
nõ hunc aliquis cõpeſcet indecore ſe gerẽtem?
Attamẽ in conſcietiæ terroribus parũ hæc um
bratica fortitudo ualitura fuit, Hyb. Et tamẽ fa
ctũ hoc, egregium pacietiæ exẽplum fuiſſet a-
teamur oportet, ſi & ex fide dimanaſſet & cõ
iunctã ſpem habuiſſet, Trigo. Quando igitur
Chriſtiani nõ externã tantũ uerumetiã interna
quoq; iuſticiã preſtare iubemur æquũ eſt, ut ad
id quod optimũ eſt. gracia dei adiuti, enitamur
indeſinenter orantes, neu fides noſtra in adfli-
ctionibus neue ſpes neue pacientia in nobis mi
nuantur

Ethnico
rũ pacie
tia fuca
tafuit.
Phocion.

niatur, sed potius per Christi spiritū maius ac perfectius robur in horas nāciscamur. Ita enim fiet, ut omnibus aduersitatibus ferendis pares reddamur, Hyber. Apud me nihil huius preter mittetur. Trigophor. Sed quo nunc iturus es? Hyberi. Lites sunt inter Cunradum Buntingū, ac principis nostri pincernā, ob negatum uinū maxime. eas compositurus sum, nam arbitrum me delegere. Trigopho. I & quod facere rogatus es, faustis auibus perage.

Quid in adflicti onibus orandū.

COLLOQVIVM DE Sacramentis in genere.

Gudenus. Egebertus.

AVDIO parrochum nostrum in genere de Sacramensis hodie concionatum esse, adeoq; usum eorundem ea modestia, eoq; artificio ob oculos omnū posuisse, ut morosis, etiā auditoribus per omnia factū sit satis cui cōcioni ut ui-

Vtinam ego quoq; interfuissem. Quis enim in re tam necessaria recte instituí non sustineat? Sed detinuerunt me turbulenta quædam negocia, quibus ut non immerito irascor, ita hoc præsertim nomine infensus sum, quod ceu præcio sissimum quendã thesaurum è manibus mihi excusserunt. Quid igitur faciam? Egeber. Imo quid tu subiratior nunc tecum mussas? Satin salua? Gude. Oh tun hic præsens Egeberte aderas? Per tempus aduenis. Neminem mallem tu quam te mihi dari. Egeber. Cur istuc? Gude. Concionatum de Sacramentis hodie aiunt te, idq; in genere. Verum ne id est? Egeber. Non inficior. Gude. Eius concionis uti me quoq; participem facias oro. Egeber. Quasi uero earum rerum repetitio mihi tam sit facilis, quam tibi fortasse (utpote iuueni) futura erat. Multa mihi inter concionandum incidunt, quorum nec memini ante concionem, nec post meminisse possum, idq; hac maxime de caussa, quod memoriæ præsidio, cum ob immodica studia tum propter ætatis morbum destituor. Et cur ipse concioni hodie non interfuisti? Aut ignoras, quid

verbum Dei thesaurus maximus.

quid Sceuola consultus quid ferijs agi liceret, responderit? Gude. Scio, Nimirum prætermittere quod prætermissum noceat. Egeb. Recte Neq; enim parum nocet uel neglecta uel prætermissa cõcio. Gude. Memini, ob eamq; rem iam mecum tacitus stomachabar, quod eam horam in alia negocia, pie quidẽ, sed tamen haud ita utiliter collocarim. Quamquã quid me frustra eius rei gratia adflicto? Adpræhensum angelum Iacob Patriacha non prius ab se dimisit quàm benedictionem ab eo accepisset. Ita te quoq; neutiquam dimissurus sum, nisi capita cõcionis tuæ audiam. Neq; enim ad repetitionem singulorum uerborum te adigam. Egeb. Atqui uis est, cogere ad dicendum, qui dicturus sponte alioqui non fuerat. Gude. Christianæ igitur charitatis obliuisci mauis, quam in re & honesta & utili cogi? Egeber. In Hypotiposi illa, qua Episcopum describit Apostolus, illud quoque inter alia requiritur, ut ad docendũ prompti simus & faciles. Quod nisi esset, dicturus certe iam non fueram. Non quod earum rerum quarum tanto tu teneris desiderio, noticiã tibi inuideam

Sceuola apophthegma.

Gen. 32.

Verbi amor.

inuideam, sed quod iam iam a prandio surgens haud ita ad dicẽdum idoneus sim, Gude. Age igitur, eamus deambulatũ, quò lœta illa omnium rerum facies, pristinam in te dicendi alacritatem excuscitet, Est enim iam quaqua uersum uertas oculos, quod contemplantis animum oblectare possit. uernant uineta, uernãt horti, uernant agri, uernant prata, & quid non? Omnia ad uoluptatem uernũ hoc tempus composuit, Egber. Geretur mos tibi, condiaturq; hæc nostra deambulatio illecebra quapiam, Gude. Illecebra nec pociori nec meliori, poterit condiri, quàm ut de noui testamenti signis ac symbolis nonnihil disseras, Egeber. Non dubium quin Tullianum illud probe teneas. Omnis de aliqua re institutio a diffinitione debet proficisci, ut sciatur quid sit id de quo disputetur. Iam de Sacramentis dicturo & uocis etymologia & finitio probe perquirenda sunt, propterea quod multum lucis hinc accedat huic negocio, Gude. Belle hoc. Pro qua re igitur Sacramentis uocabulum hic usurpabis? Egebe. Pro graciæ signo ac symbolo. Nam si pro misterio tan

Deãbulationis a prandio uel cœna commodum.

Finitio in omni disputatione necessaria.

rio tantum ac re arcana accipiatur, quo modo apud interpretẽ noui testamenti ferè accipit, qui interdũ sacramentũ uertit, interdum Græca uoce usus est, μυστήριον, iã innumerabilia Sacramenta erunt, quod omnia cũ uerba tũ opera Christi arcanũ quiddam, quod caro cõprehendere nequeat, habeãt. Pro gratiæ igitur symbolo, sacramentũ hic accipiemus, ne quam uox ipsa prima statim fronte ambiguitatẽ pariat, id quod inter concionandũ quoq; hodie admonui. Gu. Da igitur Germanã eius uocis finitionem quæq; caussam hanc aliqua ex parte illustrare queat. Egeb. Augustinꝰ. Sacramentũ uocat, inuisibilis gratiæ uisibilem formam. Hic si formæ uocabulũ pro signo accipias, bellam finitionem habes. Vere enim uisibile illud signum, promissæ gratiæ nos cõmonefacit & admonet. Sed dilucidior hic aliquanto in diffinitendo est Philippus noster, is enim ad hunc modũ ait. Sacramẽtũ est signũ diuinitus institutum, promissæ graciæ Dei. Hic quoque obseruabis, quam adpositè in hac finitione & uerbum promissionis & signũ cõiunxerit. Colligi enim hinc potest, duas potissimum res Sacramentum complecti,

Sacramenti etymologia.

sacramẽti finitio

uerbum nimirum ac rem, Verbo gratia promittitur. Re promissam graciam ratam fore declaratur. Verbo deus Gedeoni uictori- -e hostibus promisit. At uero promissionem illiusmodi certam ac ratam futuram, Vellus nunc siccum nunc rore perfusum certo declarauit, Verbo itidem deus Noah promisit, quod in posterũ diluuij aquis uniuersum orbem absumpturus non sit Sed illam ipsam promissionem Iridis signo confirmauit. Ad hunc modum de Circumcisione quoq; Paulus alicubi iudicat, signaculum iusticiæ fidei eandem appellans. Habet enim illa ipsa circumcisionis cæremonia, uerbum & rem. Verbum est, quod ait, statuã pactum meum inter me ac te & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim deus tuus & seminis tui post te &c. Res est quod sequitur. Circumcidetis carnem præpucij uestri, ut sit in signum fœderis inter me & uos, Iam quemadmodum uerbo deus Abrahæ pollicetur quod propicius eidem semper futurus sit, Ita promissionem illiusmodi ratam semper fore, Circumcisionis cœremonia testificatur. Gude.

Duas res sacramentum cõplecti tur.

Iudi. 6.

Gen. 9.

Rom. 4.

uerbũ in circumcisione & res.

Quod

Quot habet Christianissimus id genus signa? Loquor autem de ijs, quæ diuinitus iuxta philippi sinitionem, & in usum nostrum instituta sunt, Ege. Duo, Baptismum uidelicet & cœnã dominicam, Baptismum in lege Circumcisio, Cœnam dominicã esus agni paschalis adumbrauit, Iam quemadmodum baptismus tria habet, Præceptum, promissionem & Rem. Ita & cœna dominica, præceptũ, promißionem & Rem habet, In Baptismatis Cœremonia, præceptum est, quod omnes gentes baptizari Christus præcipit. Promissio est, quod aqua ablutis & credentibus, remissionem peccatorum, iustitiam, & uitam æternam pollicetur. Res est, baptismus ipse in hoc uidelicet institutus, ut perpetuum gratiæ signum, quod semper ob oculos ponant Christiani habeant, Gude. Ita ne de Sinaxi quoq; doces? Egber. quid ni? in Sinaxi enim præceptum est, quod Christus dicit. Comedite, & bibite. Promißio est, quod corpus suum pro nobis tradi, adeoq; sanguinem suum pro peccatis nostris effundi dicit. Res est, ipsum Christi corpus comesum. & sanguis hausi

Notũ testamẽ i sacramẽta.

Baptismi ratio

sinaxis

ſtus. Hoc enim ceu certiſſimo ac omnium præ cioſiſſimo ſigno declarare clementiſſimus dominus uoluit, rata omnia futura, quæ in eadem cœna credentibus eſſet pollicitus. Gude. Puto tamen illa ipſa ſigna non iuſtificare. Egeber. Non ſigna ipſa, ſed ſignorum fides iuſtificat. Et ueniat in mentem tibi, quæ de fide iuſtificante toties inter cõcionandum diximus admonui muſq;. Neq; enim ullũ eſt ſiue opus, ſiue ſignũ ſiue meritũ, cui iuſtificatio accepta referri poſſet, præterquàm fidei, quæ ut fulcro arbor, ita Chriſti merito nunquam non innititur. Porro promiſſiones gratiæ dei adpræhẽdit, ijsq; ipſis fidit, quemadmodũ de Abrahamo ſcribit Apoſtolus, quod ante circumciſionem iuſtificatus fuerit, hoc exemplo planiſſime oſtendens. Nõ ſignũ iuſtificare ſed fidem. Atq; huc quicquid uſquã in ſcripturis de fidei efficatia legitur, referri oportet. Gude. Quis igitur germanus Sacramẽtorum uſus eſt? Egeb. Sacramentis is demum recte utitur, qui ſe conſecutum ea quæ promittunt, indubitãter credit. Atq; hanc fidẽ ut uerbũ parit, ita ſymbola illa promiſſæ gratiæ & etigunt & alunt & corroborant. Imò

Non ſigna ſed fides iuſtificat.

quod intus uerbū efficit in corde, idē foris operatur uerbo adnexum signum. Corde enim promißio, oculis signa percipiuntur. Gude. An nō etiā ijs ipſis ſignis, ceu teſſera ac nota quapiam diſcernimur ab Iudæis & Ethnicis? Ege. Hunc quoq; uſum ad miſſuri facile eramus, modo priorem, ij qui diuerſum ſentiunt nobiſcum diligenter traderent, ac inculcarent populo. Iam cum hunc ſolum tradant eccleſijs, politice tantum de ſignis iudicantes, fit, ut germanū ſignorū uſum & negligant & contemnant homines. Gude. Fortaſsis ita docent, quemadmodū pera, baculus, barbitium, ac pallium à uulgo olim diſcreuerint Philoſophos, ita ijs ſignis, ceu certis notis diſtingui Chriſtianū à Iudæo & Ethnico. Eg. Sic eſt, ſed hæc de Sacramētis ſententia, niſi pro gratiæ quoq; ſignis habeantur, quid Eccleſiæ maximopere proſit, non uideo, quā tamen probamus, ſi prior quoq; ille uſus de quo diximus, probe oſtendatur populo. Eā enim ubi tenuerit, iā tum hac quoq; de re admoneri poteſt. Imò tū de mutua quoq; charitate, quā ſymbola huiuſmodi exigunt, cōtio inſtitui

ſignorū uſus.

potest. Breuiter scire ante oia Christianũ oportet, sacramenta signa esse iustitiæ fidei, in hoc à Christo exhibita, ut testentur, & peccata ipsum nobis per uerbum remissurum, & gratuito iusticiam suam donaturum. Veluti ad Romanos dicitur, accepisse Abrahamum circumcisionem, perinde atq; certum signum iustitiæ fidei Hæc enim nosse, mire fidem nostram & erigunt & corroborant. Gude. Qui fit, ut hunc signorum usum tam multi ignorent? Equidem quod ad me attinet, sentio hanc doctrinam & consolationis plenam & salutarem esse perculsis & adflictis conscientijs, etiamsi in genere tantum hisce rebus disseueris. Egeber. Ita natura comparatum est, ut quæ pessima sunt, in omnibus pene triuijs decantentur. Rursus quæ optima, ubiq; ferè ignorentur, quod ipsum tamen auditorum, non docentium fit uitio. Quanquã si Pseudoconcionatores spectes, qui non Euangelicam sementem faciunt, sed sua tantum somnia, ac ueterum constituciunculas docent, iam doctoribus quoq; culpæ nonnihil assignari potest. Quid multis? Iam inde ab ipso mundi exor-

sacramẽta signa gratiæ.

Optima non omnibus nota.

exordio, paucissimi quiq; Euangelicam doctri nam & tenuerunt semper & amplexati sunt. Gud. Verum dicis, Sed quod multi fastidiunt, id ego magna alacritate auditurus essem, si nũc de singulis Sacramentis disserere in specie non grauareris, de Baptismo nimirum & cœna dominica. Egeb. Hodiernæ tantum contionis capita repetiturum me receperam, id præstiti. Tu nunc illam de singulis Sacramentis dissertationem ab alio expectabis. Ego domum propero. Gud. Si sic stat sententia, iam ego quoq; ad meos concedam.

COLLOQVIVM DE BAPtismo.

Detius. Gelasius. Rhodophanta.

DETIVS. Verum profecto est, quod uulgo dicitur. Vestis uirum facit. Tu enim Gelasi, sic ornatus, sic uestitus, & bellus senex es, & soluto uideris alacrior. Sed quid sibi uult ornatus iste, quo feriis tantum uti consueuisti? Gelasi. Diuina, Detius. Iturus forsan ali-

quo es ad conuiuium, Gelasius. Falleris Detie. Vel nuptias alicubi cohonestaturus, Gela. Nõ dum acu rem tetigisti, Detius. Num alteram ergo ducturus ipse es uxorem? Gela. Vxorem? Fac puerbij memineris. Crãbe repetita mors est. Deti. Digamiam igitur damnas? Gela. Istuc omen deus auertat. Deti. Quod nam omen? Gela. Vt me unquã in eorum numero mueniat, qui a nuptijs siue primas tandem siue alteras intelligas, arcent homines. Deti. Qui fit igitur, ut facto easdem execreris? Gela. Effœtum corpus in causa est. Nam si hoc ætatis matrimonij uinculis rursus me adligarem, uererer futuros, qui nupsisse me, non duxisse uxorem dictitarent. Detius. Ergo iam monachum agere posses. Gelasi. Possem, & fortassis e re multarũ esset, si mei similes præficerentur collegijs monialium, Detius. Diuinare igitur quid sibi ornatus iste uelit, non possum? Rhodophanta, De improuiso hos adoriar, Qua de re confabulamini? Deti. Cõmodum Rhodõpha. aduens. diuinare iussus sum, qua de caussa Gelasius noster

ſter, præter morẽ huius ciuitatis ornarit hodie ſeſe, id non poſſum etiãſi bis atq; iterum periculum fecerim. Rhodophanta. Quid ſi ego paucis iſthuc expediam? Gelaſius. Heus caue parmenonem agas, hac atq; illac perfluentem. Diuinet Detius, qui ſe diuinaturum recepit. Detius, Ah. Næ ego ſtultus ſum cui cauſſa huius rei, iam dudum non uenerit in mentem. Enixa eſt die abhinc quinto uicina mea maſculum. Mirum ni tu pro illo in Baptiſmo fideiuſſurus es, Rhodophanta. Id ego facile, ſi me percunctatus fuiſſes, indicaturus eram. Detius. Quid ad eam rem ornatus iſte facit? In Baptiſmi negotio de alijs rebus ſolicitos nos eſſe oportuit. Gelaſius. Politica apud uos. quod noſti, honeſtas eſt, ut ad tractationẽ rerum mũdiſſimarum, corporalis etiam quædam accedat mũdities, Ei honeſtati me accõmodo. Nõ quod baptiſmus corporali iſta mũditie egeat (neq; enim corporis ſed animi ſordes abluit) ſed ut iuxta puerbiũ, ſcenæ nonnihil inſeruiã. Deti. Nõ damno, ſed potius eorum inſtitutum laudo, qui

Honeſtas publica.

quatenus citra pietatis iacturam fieri potest, omnium moribus accommodant. Et quis semper tetricos quorundam Catonum mores probare queat? Sed recte in Baptismi mentionem præsente Rhodophanta incidimus? Rodophan. Cur istuc? Detius. Cur istuc? Scin, quid nuper mihi promiseris? Rho. Scio. Nimirum quòd per otium de Sacramentis aliquando tecum colloquuturus essem. Sed uereor ne non tantũ otij habituri simus, quantum ad eam rem opus est. Breuiter aderunt cum puero, quẽ baptismatis aqua ablui uolent. Deti. Quota hora est. Rho. Prima. Detius. Atqui ante secundam non aderunt. Gela. Ne graueris igitur Rhodophanta & fidem tuam liberare, & Detio nostro hac in re morem gerere, præsertim quum me quoq; attentissimum hic auditorem habiturus sis. Rhodoph. Age, fiet. Principio autem Deti. memineris oportet, quid de Sacramentorum nomenclatura, finitione, efficatia, & usu in proxima concione dixerim. Ad rem enim multum facit, probe istuc tenere & meminisse. Detius. Imò istuc quoq; memini, quod sacramenti duas fece

ris ſpecies. Baptiſmum uidelicet & Euchariſtiam. Proinde iam nunc Baptiſmi finitionem expecto, aliàs de Synaxi auditurus ſententiam tuam. Rhodophan. Baptiſmus ſi ſcripturam ſanis oculis intueare, certiſſimum eſt & pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum ſignum. Sic enim Ioannes, antea quàm aquæ Baptiſmo homines perfunderet, prædicationem ſuam auſpicatus eſt. Pœnitentiam agite, adpropinquat regnum cœlorum. Principio ad prioris uitæ, adeòq; omnium peccatorum prouocat pœnitudinem, id quod poſtea Chriſtũ quoq; ac Apoſtolos feciſſe, nihil obſcuris uerbis Euangeliſtæ indicant. Deinde pœnitentibus, hoc eſt peccatũ ſentientib⁹, Baptiſmũ impertit, certiſſimũ uidelicet ſignum, quod per Chriſtum, cui uiam ipſe præparet, quiq; poſt totius orbis peccata ſua proprio ſanguine expiaturus, certo omnium peccatorum ueniam conſequantur, ſpiritu donentur, inq; album filiorum Dei recipiantur. Detius. Baptiſmus ergo Ioannis, remiſſionem peccatorum conuunctam habet? Rhodophan.

ſacramẽti ſpecies

Matth. 3.

Baptiſmus pœnitentiæ.

Baptismus Ioannis.

Quid ni? Neq; enim pœnitentiam solum prædicat, sed regnum quoq; cœlorum adesse nunciat. Iam an non gratiæ & remissionis peccatorũ nunciũ est, quod regnum cœlorum adpropinquare dicit? Detus. Quid propriæ hic regnũ cœlorum uocat? Rhodophanta. Tempus reuelandi Christi & Euangelij. Sic enim alibi Ioannes, digito Christum commonstrans, ac ueluti seipsum interpretaturus, Ecce inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Proinde in contione Ioannis non pœnitentiæ solum, sed remissionis quoq; peccatorum doctrina spectanda est, Vtrumq; enim Baptismus illius cõplectitur. Gela. Recte. Neq; enim diuelli à Baptismo pœnitentia & remissio peccatorum debent. Rhodophanta. Imo præcipuus Baptismi usus est, agnita per legis prædicationem, à qua concionem orditur Ioannes, peccatorum nostrorum magnitudine, terreri & affligi. Rursus, promissionis uerbo, ne ad desperationem sic adfectu adigamur, erigi. Ob eamquè rem non inepte dicunt, qui nos Ioannis

Regnũ cœlorũ. Ioel.

usus baptismi.

simul

simul ac Christi Baptismo baptizari adserunt Vna enim eademq; aqua, hoc est, spiritus organon est, quam utercq; impertit. Idem uerbum est, quod utrinq; prædicatur. Detius. Puto tamen inter Ioannis ac Christi Baptismũ, quoddam existere discrimen, uel Ioanne ipso teste. Sic enim inquit, Ego Baptizo uos aqua ad pœnitentiam. Qui post me uenturus est, ille baptizabit uos spiritu & igne. Rodophanta. Si externum opus spectes, cum baptizamur, iam nihil discriminis est. Vtrinq; enim & uerbum urgetur, & Sacramentum administratur. Sin uero spectes offitia ac utramq; personam, iam δυνάμεως Ioannem à Christo differre fateamur necessum est. Quantumuis enim sanctus fit Ioannes, quantumuis admirabilis doctor, tamen largiri sua autoritate uel spiritum, uel iustitiam uel uitam æternam non potest (rerum enim istarum minister tantum non autor est) ni peccata Christus condonet, adeòque spiritum suum in corda nostra, per uerbi ministerium trassundat, cuius uirtute

Discrimen inter baptismum Christi ac Ioannis.

&

& renouemur & gubernemur & sanctificemur, ita ut clamare nihil cunctantes audeamus Abba pater. Imò uis breuem hac de re antithesim? Ioannes minister, Christus donator est spiritus, Ioannes seruus, Christus dominus est. Ioannes remissionem peccatorum aliena auctoritate predicat, Christus proprio sanguine totius orbis peccata expiat, Ioannes Messiæ præcursor, Christus Messias ipse est, Ioannes plantat & rigat, Christus incremẽtum dat. Breuiter. Ioannes minister est salutis, Christus autor est salutis, uel ipso Ioanne teste, Sic enim inquit. Ille qui post me uenturus est, fortior me est, cuius non sum dignus, ut calciamẽta portem &c. Deti. Quantũ audio adiunctã Baptismus remissionẽ peccatorum habet, adiunctum spiritum habet, adiunctam iustitiam & uitam æternam habet, modo credas. Sed tamen ea omnia neq; a Ioannis neq; ab apostolorum, sed à Christi persona, cuius ipsi ministri tãtum sunt, pendẽt. Quid? Aut quod dixisti adsecutus nõ sum, aut harum rerum efficiens causa, & uerbum &

Antithesis Christi & Ioannis.

Efficiẽs causa in Baptismo.

Christi

Christi spiritus est. Gelasi. Ego quoq; hac de caussa baptismum ab apostolo, lauachrũ regenerationis & renouationis spiritus sancti dici arbitror quòd nõ solum externe aqua perfundimur, uerumetiam spiritu quoq; donamur, cuius igne ac potencia & corda nostra immutentur, & quicquid sordium in animis nostris reliquũ est conflagretur, iuxta illud Ioãnis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum cœlorum. Rhodophanta, Ita est, Sed commodum uerbi mentionem fecisti, eidem baptismi efficatiam attribuens. Nisi enim uerbum Christi ac præceptum ad aquam accedat, quid aliud est ac elementum: Et placet nobis Augustiniana illa agnominatio, Accedat uerbum ad elementum, & fit sacramentum. Propter uerbum enim ac Christi præceptum, unde baptismus pendet, aquam illam, non iam pro mera aqua, sed pro salubri ac salutari lauacro habemus, ut in quo omnia nobis peccata relaxentur, spiritus donetur, adeoq; in numerum filiorum dei adsciscamur, Atq; hac de causa semper in baptismi negotio & uerbum & præ-

Tit. 3.

Augustinus.

Baptismus salutaris aqua.

præceptum Christi urgeri oportet. Sic enim Matthei ultimo inquit. Ite in uniuersum orbem & docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Hic non uerbi solum ministerium apostolis commendatur, uerumetiam baptismi administratio præcipitur unde liquet, æque ad salutem necessarium esse baptismũ, atq; uerbũ ipsum, nisi forte ineptam loquatitatem Christo adscribere uelimus, qui in re non necessaria, tot uerborum modos frustra effuderit. Sed quis sic insaniat? Ego sic iudico, & sic in animum induco meũ. Non posse non sanctum, necessarium, ac salutiferum esse, quicquid tandem & præceptum & uerbum dei adnexum habeat. Detius Germanico prouerbio dicitur. Ad unius fatui interrogata uix decem sapientes sufficere. Id uerũ esse & mea loquacitas arguit, & tu fortassis non sine molestia experiris. Sed quid facias? Præmunitus aduersus impiam doctrinã Christianus debet. Proinde uel hoc nomine feres Detium tuum, quod in rebus cognitu necessarijs nullum interrogatum uel superuacaneum uel ocioſum esse possit, præsertim quum hoc tempore miras cu-

Baptis. ad salu ti neces sarius.

ca hoc Sacramentum Anabaptistæ moueant tragœdias. Hactenus probe mihi tu, de baptismi institutione, usu, efficatiaq; disseruisse uideris, ita ut cordatis hominibus nullus ad calumniandum locus relictus sit. At iam nunc quam diu duret, indica queso. Nam ad anabaptismi confutationem præcipuæ eam rem pertinere arbitror. Rhodophanta. Per omnem uitam durat. Quemadmodum enim tamdiu per dum carnis mole grauamur, & reliquiæ peccati supersunt, & in horas delinquimus. Ita pœnitentiam quoq; ac peccatorum remissionem, apud Christianos oportet esse perpetuam. Hoc est, Semper quo ad uiuimus, meminisse nos oportet, cur in aquam immersi, rursus, cur post immersionẽ extracti inde sumus, Christo ita præcipiente. Hac enim externa baptismi cæremonia ueluti perpetuo admonemur, iugiter peccatum nobis faceſſere negotium, eoq; iugi in hac mortali uita opus esse pœnitentia, iugiterq; peccatis mori nos oportere, iuxta illud. Consepulti sumus cũ Christo p baptismũ in mortẽ. Rursus cũ Christo resurgere & uiuificare nos oportere. Gelhuc

Baptismi signification.

Rom. 6.

huc fortassis non inepte, quod de nouo ac ueteri homine Paulus passim docet, quis retulerit. Rhodophanta, Recte. Scriptura enim eum hominem qui & peccato mortuus nõdum, & spiritu perfusus non est ueterem appellat. Cõtra eũ qui spiritu in baptismo perfusus et resurrexit cum Christo & iustitiæ uiuere cœpit, nouũ siue nouam creaturam uocat, Detius. Si signum igitur est baptismus, quòd harum rerum, hoc est, pœnitentiæ & remissionis peccatorum admonere ac commone facere nos debet, iam frustra apud plærosq; iteratur. Rodophan. Adde impiissime. Quod enim miseri homines uel præceptum scripturæ uel exemplum habent? Iam citra Dei præceptũ & uerbum, & exemplũ, in ijs quæ ad salutem pertinent, nouare aliquid uelle, quid aliud est ac mera insania? Gelasi. Præceptum certè iactare nullum hac in re possunt. Rhodophan. Imò ne exemplum quidem. Detius. Exemplum ex actis iactant, sed in dubie haud ita bene intellectum. Gelasi. Quodnam. Rhodo. Ego dicã. Ephæsi quosdam Paulus imperfectæ Christianos, & Ioannis Baptismate

tismate tantũ perfusas, hoc est, doctrinæ Christianæ & reuelationis spiritus ignaros adhuc, rebaptizaße legitur. Eum locum ita accipiunt, ut de externo baptismi signo locutum ibi Lucam arbitrentur, cum ex circumstantijs textus luce clarius adpareat, Baptismum ibi cum pro doctrina glorificationis Christi tum pro Baptismo ignis quo admiranda illa spiritus dona distribuebantur, intelligi oportere. Quod si contendere uolent. Lucam de externo baptismi signo loqui, iam doceant ac ostendant, quando apostoli ac alij Ioannis baptismate abluti, baptismum iterarint. Deti. Id tum ostendent, cum Christi regnum corporale in hac uita, post resurrectionem futurum conuicerint. Rhodophãta. Imò tum cum infantes admitti ad baptismum non posse, cõprobarint. Quid enim æque ridiculum, æque abominãdum? æque impium? Gelasius. Adultos ad rebaptizationem cogere, nõ ferendæ insaniæ genus est. At infantes, quod ratione expertes sint, a signo illo quo Christo inserimur, arcere uelle, summæ malitiæ inditiũ est. Rhodo. Probe dicis. Principio enim non ui

Act. 19. Locus ex actis explicatur.

Errores anabaptistarum.

dent male feriati homines, Eandem nunc esse baptismi rationem, quæ fuerit antehac in lege Circũcisionis. Iam uero quũ cõstet infantes quoq; in Iudaismo die octauo circũcisos, hocq; signo ceu tessera quapiam in numerum filiorum dei adscitos esse, qui fit, ut Christianorũ pueris, non perinde propitium deum esse ac Iudeorum infantibus olim fuerit, credere nolimus? Quæ (malum) hæc est insania? An non habet eandem uim Euangelicum hoc, Sinite paruulos ad me uenire, atq; Mosaicũ illud, Omne masculinum ex uobis octauo die circumcidetur? Aut abbreuiata est manus domini, ut quod in Iudæorum pueris operata est, in nostris operari non possit? Sed animaduerte quam malitiosum sit & hoc cauillum, quod infantes hac de causa a baptismo arcent, quòd rationis expertes sint, eoq; fidẽ que in baptismo requiratur nõ habere possint. Bis enim hic impingunt, principio quod rationi fidem attribuunt, cõtra scripturæ sentẽtiam. Deinde quod operationem diuinæ bonitatis in paruulis inefficacem faciunt. Atqui rationi uel tantillum tribuere in fidei aut iustificationis

Circumcisio.

tionis negotio, quis scripturæ locus unquã permisit? Paulus in epistola ad Corinth. priore nihil obscuris uerbis dicit. Mundum deum in sapientia dei per sapientiam cognoscere non potuisse, eoq; per prædicationis stulticiam saluos factos esse credentes, Adhæc Christus ad Petrum dicit, Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in celis est. Quod quum ita sit, necessario sequitur, nihilo magis fidei capaces esse adultos, si de carnis uiribus sermo sit, quàm pueros, fidem enim dei donum esse, quis negare uel queat uel audeat? Iam si dei donum est, neq; negari potest deũ respectorẽ personarum non esse, quis neget, in paruulis æque atq; in adultis, efficacem esse posse? Deu. Huius rei exempla habemus, Rhodo. Memini nimirum in Iheremia & Ioanne. Vtrumq; enim scriptura in utero matris sanctificatum esse dicit, Si in utero matris cũ nihil dum operati essent, sanctificati sunt, iam fidẽ quoq; per graciã & donũ habuerit necesse est, neq; enim ulla absq; fide sanctitas esse potest, Deu. Placet quod dicis,

Ratiõ cæca in rebus spiritualibus.

Matth. 16.

Sed uides huc aduentantem cum puero obſtetricem? Rhodoph. Video, eóq; dicendi finem facio tanto confidentius eundem baptizaturus, quanto certius eſt, Anabaptiſtas, cum a uera ſcripturarũ cognitione tũ ab omni pietate eſſe alieniſſimos, Vos me ſequimini. Gela. fiet.

SEQVITVR COLLOQUIVM de Confeſſione & Satiſfactione.

SEVERVS RICARDVS.

QVANDO tandem in gratiã redibis Ricarde, cũ patruo tuo? Aut nondum te intempeſtiui iſtius odij cœpit ſatietas? Ricar. Quãdo autẽ odioſa rerum iſtarũ cõmemoratione aures mihi calfacere deſines tu? Aut cantilenam hanc non millies iam audiui? Seuc, Atqui obtundere prius non deſinam, quam in concordiam uos redegero. Neq; enim neſcio, quãtum periculi habeant uel fratrum uel ſanguine cõiunctorum inter ipſos inimicitiæ, ut quæ prouerbio etiam locum fecerint. Ricar. Periculis illuſ-

Fratrum iræ acerbiſſimæ

illiusmodi terreri poteram, Sed quoties iniuriæ qua adfectus sum, magnitudinem cõsidero, toties odium hoc per se satis atrox, ueluti de nouo redintegrascit. Proinde si me amico uti uis, missa istæc facito, deq; alijs rebus mecum confabulator. Ne mentionem quidem eius hominis ferre possum. Seuerus. O pertinax odium, adeoq; flagris & pistrino dignum. Consimili odio in Romanos Annibalem olim flagrasse ferunt, Quum enim de fimenda inter Romanos & Carthaginenses simultate quereretur, pedem instixit solo, ac puluere suscitato, tum demum finem odij ac belli fore dixit, cum altera pars redacta esset in pulueris habitum, Siccine igitur tu quoq; clausis oculis properabis ad inferos? Ricardus. Non statim ad inferos properat, quisquis maleficium in homine malo detestatus est. Serue. Caue malum uoces, quem bonum uirum esse, & ego scio & nemo non confitetur. Præterea hoc tibi in mentem ueniat, cum illum calumniaris & dedecore perfundis, dehonestare te, totam familiam tuam. Et qui potest ob rem tam leuem, momentaneam

Odium Hannibalis in Romanos.

& fluxam tàm hostiliter odisse hominem? Ricardus. Imò lites inter nos sunt de rebus maximis, Seuerus. Quasi uero qua de re inter uos controuertatur ignorem, Ricardus. De fundo uidelicet paterno, quã ille dolo malo possidet, non ignarus iure hæreditario meum esse, Seuerus. Possidet, non dolo malo, sed oppignerátum. Imò ea lege possidet, ut eam tibi possessionem protinus cessurus sit, si pecuniam quam mutuo patri tuo dedit reddas, Ricardus. Atqui pater meus iam iam moriturus nullam alieni æris mentionem fecit, indubie indicaturus, si quam ab impuro homine pecuniam mutuo accepisset, proinde uerisimile non est, oppignoratum esse, ui ac dolo eundem & inuasit & possidet, Seuerus. Ita ne quicquid libet & in buccam uenit, expuere in utrum optimum audes? Audio te eadem maledicentia nuper quoq; aduersus eundem usum, adeò, ut ne fumæ quidem illius rationem habueris. Atqui Christianum calumniandi illa rabies, haudquaquam decet, Coilorum est, maledicere omnibus, quum benedicere non didiceris. Quanto satius erat iu-

Descrip. hominis iracundi

re

re agere cum homine, quam immerenti notam inurere, Ricardus. In ius igitur uel nunc tandem pertrahetur, Seuerus. Id quidem tum facere decebat te, quum omni ignominiæ genere perfusum dedecorare conabaris. Iam sic abs te habitum, etiam in ius pertrahes? Vide ne actionem contra temetipsum instituas. Nisi forte putas, maledictis inceßere, idem esse quod iure agere, dicam quod sentio, facis adeo iniuriam illi, Iuuenis uetulo & patruo. Neq; dubito quin causa cadas, si ad æquos ueniatur iudices. Si nescis enim, habet syngraphan patris tui, Ricardus. Syngraphan patris? hem, Non est uerisimile, Seuerus. Ecquod unquam uolens conscium mendacium? Id dic si potes, Ricardus. Non possum, Seuerus. Persuasus igitur esto comperta loqui me, non ex uano rumore hausta. Syngraphan ego patris tui & uidi & legi, manibus attrectaui. Ricar. Nullus sum. Seuerus. Et nō sit unquā mihi propitius Christus, si te hic fallo, Ricar. Perij. Seue. Sentis ergo iam nūc, quam iniuste contra optimum

Maledictis non est iure agere

Sacra res consilium.

uirum ferocieris? Ricar. Hic consilio opus est. Seuerus. Si te errati pœnitet, facile ut cũ homine placidissimo in gratiam redeas, effecero. Et quanquam (ut uerũ fatear) maiora designaris, quam cui rixosus quispiam facile ignoscere queat, Tamen tam mitis erit quam agnus, si te supplicem uiderit. Adolescentiæ enim prudentissimus senex citius rationem habiturus est, quàm de uindicanda iniuria consilium initurus. Tu tamen maledicentiam istam tibi tempera in posterum. Ricar. Vehementer mihi Seuere displiceo, Seue. Et tanto magis dispicere tibi debes, quanto fortius semper uociferatus es, magno christianismi damno Confessionem Lutera nos tollere, quos tamen ut alias, ita in hac quoq; Confessionis parte tradenda, qua frater reconciliatur fratri, semper constat fuisse diligentissimos. Ricard. Ergo ne quoddam confessionis genus est, quum frater reconciliatur fratri? Seuerus. Quid ni? Imo huc fere pertinet, quicquid ad occultam illam & auricularem confessionem a scripturis citant aduersarij nostri. Ricardus. Occultam igitur illam damnas? Seue.

Confitetur quot quot fratribus reconciliãtur.

Nihil

Nihil minus, sed scripturam eò trahi conquerror, ubi commode trahi non potest. Tenes opinor locum illum ex diui Iacobi (si tamen titulus autorem non mentitur) Epistola. Confitemini alterutrum peccata uestra. Ricardus. Teneo. Seuerus. Eum plærique ita interpretantur, ut ad auricularem confessionem detorqueant, cum luce clarius sit, tantum de reconciliatione fratrum inter ipsos intelligi eundem oportere. Vt sit sensus. Non occidat sol super iracundiam uestram, neq; sint ullæ inter uos qui Christiano nomine censeri uultis, uel lites uel inimicitiæ. Omnia apud uos charitate condiantur ac amicitia. Quod si etiã (ut est multis adfectibus obnoxia caro) dissidium aliquod inter uos exotum fuerit, Iam qui prior læsit, alterum qui læsus est, & placet & noxam deprecetur. Ricardus. Putas eius loci hunc Germanum sensum esse? Seuerus. Non puto, sed certo scio, idq; non solum, ex ijs, qui eum locum sequuntur ac præcedunt, egregiæq; sententiam nostram adiuuant, uerum etiam ex eò, quod

Excutitur locus e Iacobi Epistola

Matthæi quinto dicitur. Si obtuleris munus tuum ad altare, ibiq; in mentem tibi uenerit, quod frater tuus aduersum te habeat aliquid, tam relinque munus tuum & uade prius reconciliari fratri tuo, tumq; ueniens offer munus tuum. Audis nulla munera, ne illa quidem, quæ in ueteri lege præceptũ Dei habebant, nisi omnis inter fratres offensa tollatur, grata Deo esse. Ricar. Quid si hic recipietur Satisfactionis uocabulũ quod ad me attinet, non illibenter patruo pro illata iniuria satisfecero. Seu. Satisfieri ijs quos læsimus modis omnibus oportet, id quod tum fit, si erratum nostrum agnoscentes, & ueniã eiusdem errati oremus, & illatum uel damnum uel incommodum uel iniuriam officio quopiam compensemus, beneficioq; farciamus. Ibi enim tũ fit, quod alibi dicitur. Remittite & remittetur uobis. Ricardus. Deprecatione igitur hac, & mutua erratorum condonatione, ceu merito quopiam insigni, peccata expiantur? Seue. Euge. Quod enim de dimittendo dicitur, ad pœnitentiam pertinet. Quæ si ficata non est sed uera, adeoq; fidem coniunctam habet. Iam

Nihil absque charitate Deo gratum est.

fratri

fratri quoq; quantumuis hostiliter læsa sit non illibenter condonat. Atq; illa ipsa fides, è qua condonatio huiusmodi dimanauit, peccatorum ueniam consecuta est, non propter opus illud mutuæ condonationis, sed propter misericordiam orbi per Christum exhibitam. Ricar. Arridem animo meo, quæ dicis omnia, promde uolo quàm primum posito omni rancore & inuidia, redire cũ patruo meo in gratiam. A me iniuriæ initium fuit. Prior igitur aquita culpa precabor eius errati ueniam. Seue. Nunc tandem sapis. Et scio hanc tuam resipiscentiam optimo seni gratissimam futuram, & fortassis nõ repetita pecunia paternum tibi fundum cessurũ. Neq; enim pecunia tua, cum alioqui bene nummatus sit, eget maximopere. Ricar. Quid sim autem meo quoq; parocho hoc erratum insusurem? Seue. Ego tibi hac in caussa parochi loco fui, etiamsi ad Ecclesiam meam non pertineas. Ad resipiscentiam enim te hortatus, & redeuntem in uiam uerbo Dei consolatus sum. Et tamen nihilo minus tuũ parochum, si uoles, adire potes, illius quoq; auditurus è uerbo Dei sententi

Fides peccatorum remissionẽ sola impetrat.

Auricularis cõfessio.

sententiam. Neq; enim is sum, qui auricularem illam confessionem improbare uelim, modo is qui sic confitetur non cogatur ad omnium errorum enumerationem, Ricar. Ipse quoq; difficillimum arbitror peccata omnia percensere ordine, Adeoq; arenam citius numerari, atq; istuc fieri posse. Sed cur confessionem hanc tantopere probas tu, quam tamen pleriq; e grege nostro & negligunt & reijciunt? Seue. Multæ res in caussa sunt, principio clauium usus quem ignorari nullo pacto oportet in Ecclesia. Clauiū usu.

Ignoratur autem, cum priuatam absolutionem fastidimus. Cum sententiam diuinam ex concionatoris ore de nobis audire supersedemus, cumq; ob quendam abusum, uerum harum rerum usum adspernamus. Equidem publice omnibus credentibus offertur peccatorum remissio, Istuc quis negat? Sed tamen tum demum Euangelij promissiones ad me quoq; pertinere experior cum priuatim audio, fili remittūtur tibi peccata tua, uade noli amplius peccare. Est & alia caussa, quapropter Confessionem hanc etiamsi diuini iuris non sit, contemnu nolim,

Mul-

Multa sæpe angunt & male habent animum nostrum, Multi sunt casus, quorum difficultate terretur conscientia, Multa in hac mortali uita constitutis obtingunt, quæ prudentis uiri requirunt consilium. Perculsam igitur conscientiam, obq; crimen aliquod male adfectam, quis rectus, atq; scripturarum gnarus, quiq; quid cui conueniat edoctus sit, consolabitur, Ricardus. Negari non potest, quin uexta prouerbium sit Σύμβολον ἱερὸν χρῆμα. Seuer. Videndum tamen est, ut ne quicquid huius facimus, ex recepta quadam consuetudine faciamus. Ea enim res hypocritas facit. Et ut centies confiteare presbytero, tamen nihil ea res uel commodi uel utilitatis habet, ni peccatum prius persentiscens, deo quoq; confiteare, idq; uerbis huiusmodi. Tibi soli peccaui & malum coram te feci ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris, Hæc enim confessio, nisi illam quæ sacrificio in aurem insusurratur præcesserit iam frustra sacerdotis expectas consilium. Adhæc deligendus est uir bonus, rerum sacrarum peritus, inq; docendi officio constitutus, e cuius

sepe opus est consilio

Psal. 51.

Deo confidendū

ore

ore non solum absolutionem audias, sed de satisfactione quoq; recte instituare. Ricar. Satisfactionis uocabulum hic non recipis fortasse. Seue. Recipio, si ad meritū Christi referatur, Sin uero deto rqueatur ad nostra opera, iam nihil minus ē, quod ferri oporteat in Eccleſia. Ricar. Vnus igitur Christus pro peccatis nostris dependit? unus pro delictis nostris satisfecit? unus patrem nobis reconciliauit? Seuerus. Id non prius credes, quam è scripturis conuicti sit. Esaiæ unquam legisti caput quinquagesimi tertium? Ricar. Legi. Seue. Veniat igitur in mentem tibi, quæ de Christi ibi dicuntur merito, præsertim illud. Propter peccata populi mei percussi eum. Vere enim hæc de Christi merito dicuntur, uel Philippo in actis teste. Veniat & illud Ioannis in omnibus triuijs decantatum in mentem tibi. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Postremo sac Paul. illius memineris, mortuus est propter delicta nostra & resurrexit propter iustificationem nostri. An non unum Christum esse, qui pro peccatis nostris

Satisfactio nostra Christus.

stris fecerit satis, apertissime hic dicitur? Ricardus. Oportet tamen nihilominus, opinor, esse in pœnitente & motus nouos & uitã nouam, iuxta illud. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Nouã uita.

Seuerus. Istuc negat nemo, modo motibus istis ac operibus bonis, quæ fidem nunquam nonco mitantur, non referatur accepta illa pro peccatis nostris satisfactio. Ea enim quod audis, soli Christo debetur. Ad hæc incerta redderetur, si nullus hac in caussa locus tribueretur nostris meritis. Meritis inquam, quæ opponi iræ ac iudicio Dei haud possunt. Ricardus. Intelligo, nõ facile abs te iam dicta obliuioni traditurus. Quin iam iam eò placatum patruum meum, ut ne sol unquam posthac occidat super iracundiam meam. Seuerus. Frugi es, si uti cœpisti, ità perrexeris.

COLLOQVIVM DE SACRAMENTO ALTARIS.

Listrius. Aemilius.

AEmilius. Appetit sacrũ Paschatis tempus cũ & ad cõfessionẽ illã auricularẽ, & ad suscipien-

ſuſcipiendum altaris Sacramentum cogi conſueuerunt homines. Quæres tametſi nunc ad nulla tempora adligatæ ſint, uerbi luce tenebras huiuſmodi diſcutiente, tamen an mecum dominicam cũ cæteris participaturus ſim, neſcio. Neq; enim à contagio terrenarum rerum tam ſum purus, quam eſſe debent, qui ſacratiſſimis hiſce myſterijs communicant. Quod ſi liberum apud nos non eſſet ſacro ſanctum hoc conuiuium, ſed iuxta ueterem Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem præcepto ac minus huc adigeremur, fortaſsis indigne manducaturus eſſem hoc tempore corpus Domini & bibiturus illius ſanguinem. Vſq; adeo nullum ſentio harum rerum deſyderium. Sed ut tu adfectus erga hoc ſymbolum es Liſtri? Liſtrius. Vt ſolent qui rem quampiam uehementer expetunt. Quiduis enim citius, ac conuiuũ tam opiparũ neglecturus ſum. Iactant poetæ Ambroſiam, & quod neſcio Deorum nectar, ad hæc fœlicem pronunciant, cui ijs ueſci ac frui contingat. At mihi dominica illa cœna, quauis Ambroſia, quouis nectare & ſuauior eſt & mellitior. Imò

Somnia pœtarũ uana.

quàm

quam abest procul a terra cœlum, tam non me retur ridiculum illud de cibo ac potu deorum commentum huic cœne comparari. Quapropter miror, qui fiat, ut ad cibum tam salutarem nausees tu, præsertim quum cõtionibus aliquot homines ad sacram hanc synaxim subinde frequentandam, per hosce dies adhortatus sim. Aemilius. Non omnino nauseo. & tamen quendã hic torporem sentio, a tam prælauta mensa alio me rapientem. Listrius. Quũ iudum sacramẽto hoc usus es? Aemi. Non audeo dicere, & tamen dicendum est, sextus annus agitur. Listri. O te miserum. Quis obsecro malus genius, a cibo tam salutari tamdiu te detinuit? Aemili. Si transferre in alios culpam licet, fateor fatale illud hac in re orbis dissidiũ huius in me negligẽtiæ caussam esse, cum enim multa utrinq; hic diceretur, adeoq; suam quisq; sententiam, omni quod aunt telorum genere tueretur, factum est, ut ego quoq; in re non intellecta, negligẽtior sim redditus. Listri. Ah quid minus decuit, atq; ob disputationes quorundã, a re abstinere salubertima? Præsertim cũ tragœdia hæc felici

ter iampridē componi cæpta sit? Aemi. Sic iudicabam, non maximopere referre, participarem ne mensæ domini an secus, modo fidei expers non essem, Listri. Fidem ergo eos habere putas, qui quod faciendum Christus subinde præcepit, uel contemnūt uel negligunt? Aemi. Cōtemptum mihi hic non facile impingi paciar, negligentiæ, culpam tantum agnosco, Listri. Peccasti, siue contemptum tandem prætendas siue negligentiā, Et quid futurum putas, si diuus Augusti. hic de te iuberetur ferre sentenciā? Aemili. Nescio, Listri. Vix te numeraturus inter Christianos esset, Aemi. Bona uerba queso, Sed unde istuc nosti? Listri. Ex eo quē de doctrina Christiana inscripsit libro, Ibi enim christianos omnes hortatur ut identidem Eucharistiæ cōmunionem percipiant, præsertim tamē dominicis diebus. Non ignorauit uir omniū & optimus & doctissimus fide saluari ac iustificari hominem, Interim tamen illud quoq; non ignorauit, fidem nihil minus ac fidem esse, si in ijs dicto audiens non sit, quæ sese in sui cōmemorationem Christus fieri uoluit, Proinde tu, quā

Fides uerbis christi & credit & dicto audiens est.

tumuis

tuus ſolide in prophanis literis, id quod fateri cogor, eruditus ſis, tamẽ neq; quid ſacramẽtum altaris ſit, neq; uſum eiuſdem quãtum manducãtibus digne cõmodet, recte intelligis. Aemi. Fateor harũ rerum nõ tam gnarum eſſe me quàm chriſtianũ eſſe decuit, uel quẽ prophanarũ literarũ amor aliò hactenus rapuerit, Tu tamen ſi doctoris offitio fungi uoles præbebo me quod diſcipulum decet docilem, Liſtri. Certe hic uel in primis docilitate opus eſt Quod enim Fabius dixit, Eloquentiã coaleſcere nõ poſſe, niſi ſocietate tradẽtis accipiẽtisq; cõcordia, idẽ de ſacrarũ quoq; rerũ cognitione dici poteſt cũ enim fides ex auditu proueniat, qui poterit fidem auditor adſequi, ni attẽte docentẽ audiat? Aemi. Attentionẽ in me iãdudũ obiurgaciũcula tua, qua dignus bene eram excitauit, Liſtri. Principio igitur ut a finitione ordiar, Altaris ſacramẽtum nihil aliud eſt, atq; Chriſti teſtamentum, quo credentibus peccatorum remiſſio, gratuito per ipſius ſanguinem & mortem promittitur legatum, id quod uidere eſt ex ipſis Teſtamenti uerbis, Sic enim habent. Veſcentibus illis

Docilitas in diſcipulo laudatur.

ſacramẽtũ altaris quid

accepit Iesus panem, & quum egisset gratias, fregit, deditq; discipulis suis & ait, Accipite comedite, Hoc est corpus meum. Et accepto poculo, gratijs actis dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus, qui est noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hoc facite in mei recordationē. Tria in his testamenti uerbis, quo clarior finitio nostra fiat, obseruanda sunt. Testator, legatum, & hæredes, Christus testamenti huius conditor est, uerus Dei filius, adeoq; nostri caussa à patre in hunc mundum missus. Intelligis? Aemilius. Intelligo. Listrius. Legatum, remissio peccatorum est, iusticia, & uita æterna. Atq; hoc ipsum legatum ratum fore, idem Christus & uerbis promisit & sacratissimo corporis sui ac sanguinis signo confirmauit. Id quoq; uides? Aemilius. Video. Listrius. Iam legati huius hæredes sunt discipuli, credentes, electi, qui quum agnitis peccatis uerba promissionis in cæna adprehendant, adeoq; perceptione corporis & sanguinis Christi, identidem confirmare norint, fit ut ueri sint testamenti

Obseruā dū quid sit in hoc sacramento.

stamenti huius hæredes, hoc est, ut certo consequantur remißionem peccatorum, corpori Christi ita insiti, ut neq; per mortem neq; per Satanam diuelli ab eo sustineant. Id quoq; tenes? Aemilus. Teneo. Lystrius. At mihi nunc præceptũ etiam Christi in hoc testamento cõsidera. Quod enim dicit, Accipite, comedite, bibite, in mei recordationẽ facite, præcipiendi uerba sunt, ea cura ac diligẽtia præstãda, ut ꝑ Christi discipulis haberi neutiquã poßint, qui non eidem præcepto subinde pareant. Aemilius. Hic demum peccatum meum agnosco, crebrius posthàc cibo tam salutari usurus. Listri. Dabis autem operam ut recte utare. Aemilius. Eum usum tu mihi ostendas necessum est. Listrius. Istuc equidem ex ijs quæ iam diximus subodorari poteras. Quia uero gradũ eò in literis sacris nondũ fecisti, ut ratio cinari ex alio aliud poßis, mos geretur & hic tibi. Ac quidem sunt, qui sacramentum hoc pro nota tantum habent, qua fidelis ab infideli discernatur, quæq; mutuam inter Christianos concordiam signifi-

Præceptũ in cœna obseruandum

Anabaptista notantur.

cet & alere debeat. Sed hanc ſententiam ita demum pie amplectemur, ſi prius principalem harum rerum uſum teneamus, eum uero tum tenebimus, ſi ſciamus cœnam domini in hoc inſtitutam eſſe, ut manducatione hac ceu certiſſimo ſigno admoneamur, quod peccata nobis Chriſtus, ita uti promiſit, certo condonaturus ſit, adeoq; fidei noſtræ robur ac incrementum additurus. Cum enim teſtamenti uerba, quibus & uoluntatem erga nos ſuam Chriſtus teſtatur, & peccatorum remiſſionem credentibus pollicetur, idq; gratis, addito in eum uſum ueri corporis & ſanguinis ſui ſigno, fide adprehendimus, iam dictu mirum, quam fides hic ſe erigat, quam geſtiat, quam nihil de promiſſis huiuſmodi addubitet, quam pacificum deniq; deum in conſcientia experiatur. Breuiter, uidere hic eſt, homines confidenter, iuxta prophetæ uaticinium habitare in tabernaculis fiduciæ. Aemilius. Vt igitur fides noſtra erigat ſeſe, nõ per uerbum ſolum ſpiritus, uerũetiam per ſymbolum quoq; efficit? Liſtrius. Symbolon uim ſuam ac efficaciam a uerbo, cui ita coniunctũ eſt, ut diuelli non poſſint, mutuatur. Proinde

uſus cœnæ dominicæ.

Tabernacula fiduciæ.

non inepte dicitur, non tam per uerbum quàm per ſacramenta efficacem eſſe ſpiritum. Sed ad poſtiſſime hic Philippus noſter, cæremoniam hãc uerbi, cum picturam tum ſigillum eſſe, imitatus opinor Auguſtinum, cui uiſibile uerbũ dicitur ſed quid uetat, quo minus uerba Philippi abſcribamus? Sicut uerbum inquit, ad excitandam fidem traditum eſt, ita ſacramentum inſtitutum eſt, ut illa ſpecies incurrens in oculos corda ad credendum moueat. Aemi. Quãtum audio non tam nihili res ſunt ſacramenta, quàm plerique arbitrantur. Atq; ut uerum fatear breuibus quidem indicaſti ſententiã tuam, ſed tamen ita mihi uſum huius ſacramẽti depinxiſti, ut quũ mirũ antea hic torporem & ἀνανδρίαν ſenſerim nũc quãprimũ participare tã ſacræ mẽſæ cupiã, non quia paſchæ tẽpus appetit, ſed quia graciæ & remiſſiõis peccatorũ in ſacramento hoc p uerbũ pmiſſæ credẽtib⁹ indign⁹ ſũ, Liſt. Hoc fac p omnia pacis memor et cõcordiæ hactenus ratiõe chriſtianæ res creſcẽt, quas diſcordia diaboli hacten⁹ ſenſim⁹, Aemi. Cõcordiæ uel in primis uos ſtudere oportet quib⁹ docẽdi

prouintia cõcredita est, uix alioqui pax coibit. Lustri. Efficiam, ne quid hic in me desideretur.

COLLOQVIVM DE lege & Euangelio.

Sutellius, Fabriclus.

VT tibi placuit in concionando ferrarius noster? Num uestri quoq; concionatores ad hunc modum scripturas interpretantur? Fabri. In ferrario tam corporis habitus quàm concio placuit, Atq; utinã nostri quoq; clamatores (lapsus sum, prædicatores dicturus erã) ita Euangelicam sementem facerent. Equidem uocales satis sunt, sed tum solum, cum de iis quæ πρὸς τὰ ἄλφιτα pertinent disserendum est. Sutel. De corporis habitu quid iudicare potes tu, quum phisiognomus non sis? Fabri. Vt maxime physiognomus non sim, tamen uultus ipse ac gestus, cum comitatem quandam in eo, tum miram ingenij modestiam arguebant. Solonem audire uisus sum, quem inter dicendum

Solonis modestia.

ne manus quidem extra pallium aiunt protulisse. Et doctissimis quibusq; eas conciones maxime probari uideo, quæ concitatæ nimium non sint, Sutel. Aliter uero hic uulgus iudicat, eos tantum adprobans, qui seditiose uociferãtur in sacrificos & monachos, qui histrionum instar in suggestu gesticulãtur, qui scripturã ad multitudinis adfectus accomodant, Breuiter, qui hoc tantum inter concionandum agunt. Vt multitudini placeãt, Equidẽ monachos, sacrificos, magistratum, modeste ac in loco admonere officij, & decet concionatorem & res modis omnibus necessaria est, Sed tamen cauendum hic est, ne quid uulgi detur auribꝰ, pessima potius optimis nunquam non amplectentis, Fabri. Vulgi iudicia apud omnes bonos nunquã nõ suspecta fuerunt, Annon enim Phocion, quum quodam die orationem ad populum habens, sermonem omnibus uideret probari, interrogauit amicos. Num mali quippiam locutus esset imprudens? Taceo Antisthenem qui dicenti cuidam, Multi te laudant, Quid igitur respondit, male feci? Subindicabat nimirum uir prudentissimus, quæ

uulgi iudicia.

Apophthegmata obseruatu digna.

cet & alere debeat. Sed hanc sententiam ita demum pie amplectemur, si prius principalem harum rerum usum teneamus, eum uero tum tenebimus, si sciamus cœnam domini in hoc institutam esse, ut manducatione hac ceu certissimo signo admoneamur, quod peccata nobis Christus, ita uti promisit, certo condonaturus sit, adeoq; fidei nostræ robur ac incrementum additurus. Cum enim testamenti uerba, quibus & uoluntatem erga nos suam Christus testatur, & peccatorum remissionem credentibus pollicetur, idq; gratis, addito in eum usum ueri corporis & sanguinis sui signo, fide adprehendimus, iam dictu mirum, quam fides hic se erigat, quam gestiat, quam nihil de promissis huiusmodi addubitet, quam pacificum deniq; deum in conscientia experiatur. Breuiter, uidere hic est, homines confidenter, iuxta prophetæ uaticinium habitare in tabernaculis fiduciæ. Aemilius. Vt igitur fides nostra erigat sese, nõ per uerbum solum spiritus, uerũetiam per symbolum quoq; efficit? Listrius. Symbolon uim suam ac efficaciam a uerbo, cui ita coniunctũ est, ut diuelli non possint, mutuatur. Proinde

usus cœnæ dominicæ.

Tabernacula fiduciæ.

non inepte dicitur, non tam per uerbum quàm per sacramenta efficacem esse spiritum. Sed ad positissime hic Philippus noster, cæremoniam hãc uerbi, cum picturam tum sigillum esse, imitatus opinor Augustinum, cui uisibile uerbũ dicitur sed quid uetat, quo minus uerba Philippi abscribamus? Sicut uerbum inquit, ad excitandam fidem traditum est, ita sacramentum institutum est, ut illa species incurrens in oculos corda ad credendum moueat. Aemi. Quãtum audio non tam nihili res sunt sacramenta, quàm plæriq; arbitrantur. Atq; ut uerum fatear breuibus quidem indicasti sentetiã tuam, sed tamen ita mihi usum huius sacramẽti depinxisti, ut quũ mirũ antea hic torporem & ἀκηδίαν senserim nũc quãprimũ participare tã sacræ mẽsæ cupiã, non quia paschæ tẽpus appetit, sed quia graciæ & remissiõis peccatorũ in sacramento hoc ꝑ uerbũ ꝓmissæ credẽtib⁹ indign⁹ sũ, List. Hoc fac ꝑ omnia pacis memor et cõcordiæ hac enim ratiõe christianæ res crescẽt, quas discordia diaboli hacten⁹ sensim⁹, Aemi. Cõcordiæ uel in primis uos studere oportet quib⁹ docẽdi

prouintia cõcredita est, uix alioqui pax coibit.
Listri. Efficiam, ne quid hic in me desideretur.

COLLOQVIVM DE lege & Euangelio.

Sutellius, Fabriclus.

VT tibi placuit in concionando ferrarius noster? Num uestri quoq; concionatores ad hunc modum scripturas interpretantur? Fabri. In ferrario tam corporis habitus quàm concio placuit, Atq; utinã nostri quoq; clamatores (lapsus sum, prædicatores dicturus erã) ita Euangelicam sementem facerent. Equidem uocales satis sunt, sed tum solum, cum de ijs quæ πρὸς τὰ ἄλφιτα pertinent disserendum est. Sutel. De corporis habitu quid iudicare potes tu, quum phisiognomus non sis? Fabri. Vt maxime physiognomus non sim, tamen uultus ipse ac gestus, cum comitatem quandam in eo, tum miram ingenij modestiam arguebant. Solonis modestia. Solonem audire uisus sum, quem inter dicendum

ne

ne manus quidem extra pallium aiunt protuliſſe. Et doctiſſimis quibusq; eas conciones maxime probari uideo, quæ concitatæ nimium non ſint, Sutel. Aliter uero hic uulgus iudicat, eos tantum adprobans, qui ſeditioſe uociferãtur in ſacrificos & monachos, qui hiſtrionum inſtar in ſuggeſtu geſticulãtur, qui ſcripturã ad multitudinis adfectus accomodant, Breuiter, qui hoc tantum inter concionandum agunt. Vt multitudini placeãt, Equidẽ monachos, ſacrificos, magiſtratum, modeſte ac in loco admonere officij, & decet concionatorem & res modis omnibus neceſſaria eſt, Sed tamen cauendum hic eſt, ne quid uulgi detur auribꝰ, peſſima p optimis nunquam non amplectentis, Fabri. Vulgi iudicia apud omnes bonos nunquã nõ ſuſpecta fuerunt, Annon enim Phocion, quum quodam die orationem ad populum habens, ſermonem omnibus uideret probari, interrogauit amicos. Num mali quippiam locutus eſſet imprudens? Taceo Antiſthenem qui dicenti cuidam, Multi te laudant, Quid igitur reſpondit, male feci? Subindicabat nimirum uir prudentiſſimus, quæ

uulgi iudicia.

Apophthegmata obſeruatu digna.

recta sint, uulgo nunquã placuisse. Sutel. Concionatorem igitur sic adfectum esse oportet, ut ea, quæ pia sunt, quæ uera sunt, quæ conducibilia sunt, non solum ad Christi gloriam propagandam, sed ad publicam quoq; tranquillitatem retinendam, tradat Ecclesijs, non autem ea quæ uulgo adlubescunt. Fabri. Istuc certe in hodierna concione Ferrarium egregie præstitisse fateor. Quàm enim prudenter, quàm scite quàm adposite, de legis ac Euangelij ratione disseruit? Sutel. Istuc equidem ipsa Euangelij lectio requirebat. Quum enim Christus Apostolos suos in uniuersum orbem ablegaturus esset, utq; Euangelium omni creaturæ deprædicarent, ijsdem præcepisset, commodum de noua hac Euangelij doctrina uerba fecit. Quis uero nescit, per Christum, cuius beneficia in nos Euangelicæ literæ describunt, Legem per Mosi ministerium Iudæis latam, abrogari? Iam ne nulla omnino de caussa illa ipsa lex lata uideret, ostendendus fuit legis eiusdem usus ac efficacia, quò cõmodius inter utrumq; doctrinæ genus imperiti discernerẽt. Fab. Ordinẽ profecto

Euangelio uetus lex cedit

in

in hisce rebus tradendis ita obseruauit, ut ad uerbũ propemodũ, quid dixerit, teneam. Sutel. Ad uerbũ? Magnum igitur memoriæ donũ habeas necessum est. Quanquã cur non facio huius rei periculum? Dic si potes, quo ordine contionem hisce de rebus instituerit. Fabr. Principio, quum discrimen inter utrumq; doctrinæ genus ostensurũ polliceretur sese. Orsus eã rem protinus est à legis finitione. Lex, inquiens, sententia est, qua, quod bonum est præcipitur, & quod malum est prohibetur. Atq; hic protinus addidit, obseruari in ea finitione præcipiendi & prohibendi uerbum oportere. Ea maxime de caussa, quod & legis uerba sint, & eorum errorem, qui legem uiribus nostris impleri posse contendunt modis omnibus fugere Christianum oporteat. Impossibilia enim (inquit) carni sunt, quæ in lege præcipiuntur, uel Petro in Apostolicis Actis teste, à quo iugum ac onus uocat, quod nec ipsi nec Patres ipsorũ portare potuerint. Sut. Tempestiue hæc admonuit. Porro si ea in re quæ ad internã legis impletionem pertinet uel tantillũ uiribus nostris adsignasset.

Lex quid sit.

Lex impossibilia præcipit.

adſignaſſet. Iam finitio latius pateret, contra Dialecticos, ac definitum. Fabri. Huc addidit locum ex Paulo, Lex ſpiritualis eſt, quem ita accipi opportet. Quód cor ipſum ac adfectus requirat. Porrò quum ad eam rem ſpiritu opus ſit, iam iterum palam fieri, Legem quidem præcipere multa, ſed quæ carni ſint impoßibilia. Hæc quum pro captu auditorum, craſſa, quod dicitur, Minerua, & tamen multis uerbis exaggeraſſet, tandem commoda occupatione ad legis uſum declarandum tranſitionem fecit, inquiens. Quod ſi quis roget, cur ergo lata eſt lex? ei reſpõdero, duplicẽ legis uſum eſſe. Sutelius. Neceſſaria profecto occupatio. Si impleri enim uiribus noſtris lex non poteſt, id quod ueriſſimum eſt. Et tamen nihilo minus legis tranſgreſſoribus iram, iuditium, ac perpetuos cruciatus Deus comminatur. Iam neceſſario, cur lata eſſet lex indicandum fuit. Proinde uide ut probe eorum, quæ de uſu eiuſdem ac efficatia hic dixit, memineris. Fabri? Duplicem igitur legis uſum fecit. Priorem, politicum uocauit & carnalem, cuius offitium ſit, improbos, flagitioſos, ac publicæ pacis interturbatores

Adfectus lex requirit.

Duplex legis uſus.

cohercere, de eòq; loqui Paulum, Lex iniustis posita est. Atq; huc pertinere naturæ legem, ac omnem ab omnibus Philosophis traditam uiuendi rationẽ, in qua tametsi uera iustitia non sit sita, tamen & a Deo eandem requiri, & uiribus nostris præstari posse, iuxta illud. Gentes natura, quæ sunt legis faciunt, Sed quàm hic bone Deus, modeste, & magistratum & subditos officij admonuit, ut ad quos ea legis pars pertineat? Sut. Profecto nihil hactenus á scopo aberrasti. Fabri. Alterum legis usum ad cõscientiam cum Deo agentem transtulit, cum uidelicet conscientiam adcusat lex, quid præstare uiribus nostris possumus, quidue minus ostẽdens. Hincq; potissimum intelligi oportere, cũ de legis usu in scripturis agitur, quale sit, quod Paulus alicubi iram legi, alicubi peccati cognitionem tribuat. Vere enim tum iram operatur lex, cũ conscientia adcusata & perculsa, & iuditiũ dei fugit, & eidem ueluti desperabunda irascitur. Atq; huiusmodi terriculamenta è peccati cognitione proficiscuntur, de qua Paulus ait, Per legem cognitio peccati. Hæc quoq; quum

Lex naturæ.

Lex iræ operatur.

quum miris uerbis exaggeraſſet, obiter addens eos qui ſic adfecti non ſint, nequaqã percipiendo Euangelio eſſe idoneos, quod deſperabundas tantum conſcientias cõſoletur iuxta illud, Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, tandem de Euangelio quoq; uerba facere cepit Sutel. Concionatorem te non pedagogum eſſe oportuit, idq; ob duas potiſſimum res, Principio, quod rerum ſacrarum gnarus es ſupra ludi literarij magiſtri captum, deinde quòd tantam memoriæ felicitatem in paucis deprehendi hactenus, Negari enim non poteſt, Non ſecus concionatori, opus eſſe fœlici memoria ac oratori, Iam memoriæ duplicem uirtutem eſſe facile uidelicet percipere & fideliter continere, quis non fateatur? Certè tu & percepiſti facile concionem hanc & non infideliter cõtinuiſti, Sed perge, Fabri. Euangelium inquit, lœtum nuncium eſt, quo non ſolum pecatorum remiſſio orbi adnunciatur, idq; gratuito propter Chriſtum, uerũetiam iuſticia quoq; ac uita æterna promittitur, Id quod adparet angelorũ Chriſti ortum adnunciantium uerbis, quæ ſic habẽt. Ecce adnũcio uobis gaudiũ magnũquod

Quintilianus de memoria.

Euãgeliũ quid ſit.

quod futurum est toti populo, quia natus est hodie seruator, qui est Christus dominus in ciuitate dauid &cetera. Hicquoq; addidit, diligenter obseruari oportere, quod non tristia, sed lætißima pastoribus adnunciata sint. Quemadmodum enim legis prædicatio insuauis sit tristis sit, parum læta sit, mortis deniq; ministra sit. Ita uicissim Euangelico isto nuncio nihil esse uel lætius, uel iucundius, uel consolatione plenius. Neque enim id solum agere, ut quid facto opus sit ostendat, sed spiritum quoque impertiri, cuius ope, quæ præcipiuntur, præstare queamus. Ad hæc, Eos qui sub lege sint, ueluti in atrio quopiam Trophonij esse, neq; unquã frõtem exporrigere, semper tristes, semper timidos, semper desperabundos, a soliꝭ etiã sibi metuere sonitu. Cum contra, iꝭ qui sub gratia sint, semp in sinu gaudeant, frontẽ nunquã cõtrahãt, nihil minus ac a peccato sibi metuentes. A legis enim sentẽcia, quæ mortẽ intẽtat liberati Christo ita insiti sunt ut nec a satana nec inferno sibi timeãt, atq; hinc, inquit, facile, quis Euãgelij efficaciã deprehẽderit. Quẽadmodũ enim

Euangelij efficatia tranquillare conscientias.

enim lex conscientias minando & terret & percellit. Ita Euangelium & tranquillitatem consolando adfert, & corda miris modis pacat. Sutel. Ordinem huius pacationis, non dubito, quin ut cætera probe obseruaris. Fabri. Pacantur autem, inquit, ad hunc modum conscientiæ. Cum magnitudine peccatorum perculsæ, remedium quærunt & solatium, gratiã eis Deus in Christo exhibitam orbi, per uerbũ Euangelij patefacit. Deinde per illud idsum uerbum, ceu instrumentum quoddam ac organon, spiritum donat, qui fidem in cordibus nostris, adeoq; nouos motus excuscitet. Sutel. Vtinam hanc uerbi efficatiam diligenter obseruarent Anabaptistæ qui nouis dogmatis hoc tempore turbant Ecclesias, sed perge. Fabri. At uero excuscitata per spiritum fides, promissionem de Christo, deq; parta per eundem peccatorũ remissione, & adpræhendit & mordicus tenet, nihil addubitans, quin certo consecutura sit, quicquid tandem credentibus, Euangelium promiserit. Quain re fieri non potest, quin re ipsa intus experiatur, omnem noxam, omnia

Ordo pãcandarũ conscientiarum.

errata,

errata, omnia uitæ prioris delicta, per Christum sibi condonata esse. Cui autem tam immensa gratia non addat animum? quis hic frontem non exporrigat? Quis hic uel à peccato sibi metuat, uel mortem horreat, uel Satanam extimescat, uel infernum non contemnat? Atq; hæc demum est (inquit) illa conscientiarum nostrarum pacatio, qua freti, legis sententiam, mortem intentantem, uincimus, nunquam non cum Paulo dicentes. Nihil nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu. Item iustificati per fidem pacem habemus ad Deum. Satellius. Vtinam tales mihi semper auditores contingerent contionanti. Sentio enim, auditorum alacritatem, concionanti quoq; addere calcar ac stimulum, quo diligentius prouinciam suam administret. Contra, quod nescio generari in docente tedium ac fastidium, si non attentissimi sint, sed oscitanter audiant, quibus uerbū prædicatur. Fere enim concionatoribus contingit, quod poetis contigisse Plinius secundus, dum uiueret ipse, conqueritur. Magnum inquit, prouentum poetarum hic annus adtulit. Toto men

Auditor diligens diligentem reddit concionatorem.

Querela Plinij.

se Aprili nullus ferè dies, quo non recitaret aliquis, iuuat me quod uigent studia, proferunt se ingenia hominum & ostentant. Tametsi ad audiendum pigre coitur, pleriq; in stationibus sedent, tempusq; audiendi fabulis conterunt, ac subinde sibi nunciari iubent, an iam recitator in trauerit, an dixerit præfationem, an ex magna parte euoluerit librũ, tum demũ, ac tum quoq; lente cunctanterq; ueniunt, nec tamen permanent, sed ante finem recedunt; alij dissimulanter & furtim, alij simpliciter & libere. Hactenus Plinius. Iam ex eodẽ morbo laborare maximam hoc tempore hominum partem, quis non uidet? Cupimus quidem nos, omnes homines lœti istius nuncij fieri participes, nuncij inquã, quo & peccatorum remissio omnibus offertur & conscientiæ pacantur, si dicto uicissim audientes ipsi essent. Sed quum fieri non possit id quod uis, ut ille inquit, id uelis quod possit. Fab. Quum igitur de conscientiæ tranquillitate copiose admodum disseruisset, contraxit postremo totam hisce de rebus disputationem in Epilogum, quem per Antithesim ita tractauit, ut

Pigre uerbum auditur.

siue

siue artificium spectes siue Laconismum, nihil uel artificiosius uel brevius dici potuerit. Lex inquit, triste, Euangelium, lætum nuncium est. Lex iram operatur, Euangelio gratia promittitur, Lex peccatum ostendit, Euangelium ostensum peccatum condonat. Lex occidit. Euangelium uiuificat. Lex terrorem, Euangelium solatium adfert. Lex adcusat. Euangelium reos absoluit. Atq; hoc ipsum (inquit) Legis ac Euangelij discrimen probe eos tenere oportet, qui peccatorum mole grauati, mundari ab huiusmodi sordibus cupiunt, ut non tàm sciant gratia sibi ad eã rem opus esse, quàm unde gratia huiusmodi petenda sit. Petenda autem est à Christo, quem fratris, reconciliatoris, patroni ac seruatoris loco pater nobis proposuit, ductus nõ nostris meritis, sed paterno erga nos adfectu ac misericordia, ueluti Christus quoq; dicit. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pudefiat, sed uitã æternã habeat. Proinde quisquis huic Christo, peccatũ persentiscens, credit, fidit, adhæresc it, non proprijs uel uiribus uel operibus,

Antithesis legis & Euangelij.

Christus frater reconciliator & patronus noster.

ſed illius merito ac bonitati innixus. Is certò etiam peccatorum remiſsionem, iuſtitiam, & uitam æternam conſequitur. En, habes nunc quod uolebas, hodiernæ nimirum ſummã concionis. Sutellius. Re ipſa effeciſti nunc, ut ingenium poſthac tuum ſemper prædicaturus ſim. Quòd ſi ubiq; concionatorum diligentiæ, auditorum feruor ſic reſponderet, futurum profecto non dubitarem, quin magno cum fructu ſementem Euangelicam ubiq; facturi eſſemus, adeòq; merito tum Prophetæ illud audituri. Quàm pulchri ſuper montes pedes annuncian-

Locus ex Eſa. de prædicatorib.

tis & prædicantis pacem, annunciantis bonum prædicantis ſalutem dicentis ad Sion, Regnat Deus tuus. Fabrici. Quòd ad me attinet, dabo operam, ut ne unquam parum diligens auditor eorum ſim, qui & uitæ innocentia, & ſalutifera doctrina omnibus Chriſti præeunt, memor, fidem nõ niſi ex auditu promanare. Certè apud nos quanquã peſsimam uitam uiuant ſacrificuli, ijſq; maleficijs paſsim ſeſe & nobilitent & uendant, quæ uel apud Turcas uix ferrentur, tamen ſi Chriſtum ac uera docerent, libentiſsi-

me

me dißimulatis uicijs concionantes auditurus eſſem, iam nec docent recte, nec uiuunt pie. Et tamen tyrannidem huiuſmodi, utcunq; hactenus pertulimus, pietatem ex mutis tantum magiſtris petere coacti. Quanto magis & hunc tuum Symmiſten arrectis auribus docentem audire debui, quem præterquam quòd recta docet, bonum etiam uirum eſſe iudico. Sutellius. Vere bonus uir eſt. Cum enim Groningæ, unde oriundus eſt, magnifice & ex patrimonio, eòq; amplo, & opimo Canonicatu deliciari potuiſſet, maluit propter Euangelij gloriam & exulare à patria & Gottingæ Chriſtum mecum prædicare, quàm contra eiuſdem Chriſti uerbũ inter indoctos ac ſceleratos Papiſtas in præcio eſſe. Sed ad cænam ab eò inuitatus ſum ad quam propero. Quòd ſi tu quoq; ire mecum eò uoles, eris eidem (ſat ſcio) cõuiua & hoſpes gratißimus. Fabri. Hac in re obſequentem me habiturus es, etiamſi me oneri illi futurum ſcirem. Neq; enim ſcio, quid iucundius doctorum uirorum commertio, uita hæc habere poßit. Et notum eſt illud, bonos ad bonorũ conuiuia

Mutimagiſtri doctores & ipſi pietatis.

Laus iuſti ferarii Gottingenſium concionatoris.

uel non inuitatos accedere. Proinde præi tu, Ego quod umbrã decet, modeſte ſubſequar.

COLLOQVIVM
de Peccato.

Hyberinus. Nigidius.

SALVE Nigidi. Nigidi? Tu quoq; ſaluus ſis Hyberine. Hyberinus. Quid ego te in his iam conſpicor regionibus? Ita ne a pædagogio tibi tuo abeſſe licet? Nigi. Equidem inuitus ab ijs, quos inſtituẽdos formãdosq; ſuſcepi abſum, ſed arduũ negotium eſt, quod me huc pertraxit, uix aliòqui hoc tempore uenturũ, Hyberi. Credo, ſed ut ualet uxor? ut liberi? Nigi. Vxoris ualetudo firma eſt, id quod nuper a largiori compotatione reuerſus, experiri coactus ſum, Hybe. Ha ha ha. Pugnis igitur uenientem an uerbis excepit? Nigi. Vt a pugnis tẽperet, facile impetro, ut uero a contionãdo abſtineat, nõ item, Hybe. Atqui ego te ijs clamoribus aſſueuiſſe ſcio, neq; facile hac in re offendi, Nigi. Non

Non magis offendor quàm si rotæ, quæ aquam e puteo educit, stridorem audiam, Hybe. Idem Socrates ad Alcibiadem dicebat de mirantem quod rixosam illam Xanthippen domi pateretur, Nigi. Et tamen non omnino odi tempestiuam istam in optima uxore garrulitatem, propterea quod malum hoc magno interdum compensat commodo, Hybe. Quo nam? Nigi. Valde irritabiles estis hoc tempore theologi, adeò ut ob leuiusculum etiam erratum perstringere homines soleatis mordacissime, uerum ne id est? Hyberinus. Atqui leuia illa errata ita interdum leuia sunt, ut haud ita procul absint a manifestis uitijs, Nigidius. Fateor. Nemo enim est, qui nō hisce in rebus Suffenus sibi sit. Vt tamen contiones uestras pacienter audire assuescam, non illibenter domi contionantem subinde uxorem audio, et uis audire ridiculum quiddam? Hybe. Volo, Nigidius. Dixi superioribus hisce diebus ad uxorem, feminis contionandi potestatē a diuo Paulo omnino adempta esse, Proinde assueseret, quod Christianā

locus in theologos.

deceat, taciturnitati & silentio. Id illa subridens ioco excepit huiusmodi. Ego ne istũ Paulum, quem Christi & Ecclesiæ hostem aliquando fuisse constat, silentium mihi mandare patiar? Mori me hercle malim, quam quum pro liberis solicitus non es tu, non interfari & obstrepere. In Ecclesia, ut tacita quæ ibi dicuntur audiam, induci possum. At uero domi, hoc mihi concionandi ius adimi non feram. Hyber. Profecto ab ipsa uxore tua, iocum hunc audire uideor. Sed uter nostrum fœlitior est? Ego ne qui & ipse concionator sum, & domi cottidie concionantem uxorem audio, an tu, qui quanquã concionator non sis, nullum tamen diem transigis, quin concionem bene longam audias? Nigidius. Quod ad eam rem attinet, par utriq; nostrum contigit fœlicitas, quid uero si alia in re te sim fortunatior? Hyber. Id qua in re sit non intelligo. Nigid. Quot liberos tua tibi concionatrix enixa est? Hyber. Quasi uero istiuc ignores. Nigid. Hic ego si numerum spectes, est cur me tibi præferam. Nam præter filiolam quæ nuper è uiuis excessit, quatuor adhuc domi habeo, qui si matrizare uolent, du-

Mulieres concionatrices.

bium

bium non est, quin frugi futuri sint. Hyberinus Hoc est, locutulei, sed & mei frugi erunt, quũ è concionatore & concionatrice prognati sint Nigid. Gente nimirum sancta. Hyber. Extra iocum, filia nuper orbatus es natu minore? Nigidi. Sum. Hyber. Mirum ni ea tibi res ingentis tristiciæ caussa fuit. Neq; enim nescio, quàm tenere liberos deames. Nigid. In luctum Hyberine incidi adeo acerbum, ut intra triduum nec cibi nec potionis desyderium me tenuerit ullum. Et qui ante hac in id genus casibus, sæpe numero alios consolatus fueram, hic omnium immemor, ita dolore confectus sum, ut à nemine consolari sustinerem. Huc accesserunt uxoris lachrymæ, quæ immoderato isti luctui erãt quod oleum camino esse solet, iuxta Prouerbium. Quod nisi noua me prole Christus exhilaratum, e squalloribus huiusmodi extraxisset, actum de me erat. Hyber. Longe gratissimum est, quod familiam tuam filiolo auctam, antehac etiam audiui. Vel ea enim res arguit, uerum esse, quod alicubi Paulus dicit, fidelem esse Deum, qui non patiatur nos tentari supra id quod possumus. Quid? Plane hæc est Glau-

Boni corui bonũ ouũ.

ci & Diomedis permutatio, filia orbari, ac filiolo protinus donari. Niſi forte in ea non es nobiſcum ſententia, ut filium malis quàm filiam. Quòd uero tam immoderato luctu confectus es, laudare in homine Philoſophico nõ poſſũ, multo minus Chriſtiano. Neq; enim reuocari lachrymis in uitam poſſunt, qui ſemel uita defuncti ſunt. Equidem pium adfectum non damno, ſed tamen modum oportet eſſe in his rebus quendam, ea maxime de cauſſa, ne licitus ille dolor fiat, quod Prouerbio dicit ἀρμοδίου μνῆμα. Nigi. Celebris eſt apud Terentium ſententia facile cum ualemus, ægrotis conſilia damus. Proinde cum Carino reſpondere libet. Tu ſi hic ſis aliter ſentias. Hyber. Quaſi uero nemo antehac liberis præterquam tu orbatus ſit. An non idem infortunium ego quoq; ſenſi? Nigid. ſenſiſti. Sed neſcio an mitius hoc incommodum toleraris, ac nos pertulimus. Hyberinus. Si me primum doloris impetum ſenſiſſe negem, quàm recte id faciant, Stoici cum ſua ἀπάθεια uiderint, certe mentiar. Sed tamen poſt, ubi primus

Mares parentibus chariores ſunt atq; fœminæ.

Moderatus luctus licitus eſt.

primus ille doloris impetus resedit, eieci protinus omnem merorem ex animo, satius esse ducens, Dei bonitatem hic & uoluntatem agnoscere, eidemq; ob temperare, quã contra illius consilium inani luctu, memetipsum conficere & macerare. Imò uerum fatebor, Quã primũ ille animi mei dolor deferbuisset, cœpi recta mecum reputare, bonitatis ac clementiæ non iræ diuinæ signum esse, si quis hoc ætatis priuetur liberis. Nigidius. Cur istuc? Hyberinus. Dicam. Vides totius orbis mores corruptissimos esse, uides omnem carnem ad uicia, ad peccata, adeoq; omne flagitiorum genus ferri præcipitẽ, ita ut subdubitare quosdam audiã, fuerit ne cõtaminatior orbis, antea diluuio quã deleretur, atque nunc sit. Ex tanta igitur & uiciorum Camerina & infidelitatis lerna liberari, an tu leue beneficium ipse putas? Nigidius. Viciorum attactum contaminare ac inquinare, memini, iuxta illud. Qui tangit picem inquinatur ab ea. Sed tamen & uita suauis est, & non mediocrem uoluptatem liberorum conuictus habet. Hyberinus.

habet

Habet ſane. At mihi temporaria illa uoluptas, ita adlubeſcit, ut multo potiorem Dei ſemper uoluntatem habiturus ſim, præſertim cum con ſtet, quoad corporis mole grauati ſumus, peccatis nos obnoxios eſſe, quum contra ij qui carnis ſarcinam deponunt, à peccatis & uitijs liberi ſint iuxta illud Pauli. Qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Quid? Non omnino ſine cauſſa ſapiens dixit, quoſdam in hoc rapi, ut ne malitia mutet intellectum ipſorum. Senſit indubie uir prudentiſsimus, nimirũ experientia ipſa edoctus, in carne uiuere, & à peccatis abſtinere, res eſſe cum difficillimas tum poſsibiles. Nigi. Quaſi uero a peccatis liberi ſint, etiamſi ſtatim hic ſubducantur pueri? An non theologi docetis, primogeniam noxam tantam eſſe, ut niſi in baptiſmo per uerbũ condonetur, æternos etiam cruciatus mereatur? Hybe. Qui ad hunc modum docent, recte docent. Sed tamen ſi à baptiſmo protinus ſubducantur, iam peccati maſſam ita deponunt, ut ne concupiſcentia illa carni agnata in opus erumpat, id quod in carne conſtitutis ferè accidere ſolet. Nigi. Rogote Hy

Mors a peccatis iuſtificat.

te Hyberine, uti cõpendio quodam ac ordine hisce de rebus disseras. Cũ enim originis labẽ ab ea concupiscentia, quæ iam in opus erupit distinguas, arbitror clariora hæc fore, si artificium quoddã hic adhibeatur. Ac quidem principio, quid peccatum in genere uoces, audire cupio. Hyberi. Peccatum, si quis Paulinum illud probe expendat, quicquid non est ex fide peccatũ est, omnis cũ lege Dei pugnans actio dici potest. Atq; hoc ipsum peccatum, ita demum recte partitus fueris, si in Originale & actuale diuidas. Libet enim hic uerbis uti usitatioribus. Nig. Finitio istæc cum Paulina sententia consentit, quin partitionẽ quoq; recipio, sed quid originale peccatum uocas? Hyberi. Originis peccatum, non solum eius integritatis despoliatio, quæ protinus Adæ lapsum subsecuta est, sed plane ipsissima naturæ corruptio dicitur, qua fit, neu agnoscere Deum, neu timere Deum, neu diligere Deum, neue fidere deo possimus. Nigi. Vehementer hac finitione originis peccatum exaggeras. Hyberi. Et plane digna est hæc labes, quæ modis omnibus exagge-

peccatũ quid.

imo quod pugnat cũ lege Dei siue arbitrio cogitatio &c.

peccati species.

Originalis peccati finitio

aggeretur, An non enim Paul. ad Roma. dicit, per unum hominem peccatum in mundū transſiſſe & per peccatum mortem? Vere ingens peccatū ſit oportet, cuius pœna æterna mors eſt, Nigidi. De hac naturæ corruptione illud fortaſſis Pſalmographi etiam intelligẽdum eſt, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea, Hybe. Tenes quod ſi quis citatum iam Pauli locum penitius introſpiciat, palam fiet, peccatum hic pro ipſa peccati maſſa, adeoq; naturæ corruptione accipi. Indicare enim huiuſmodi uerbis uult, unde natū ſit peccatum, quidq; efficiat, per unum, inquit, hominem peccatum in mundum intrauit. Audis hic, non leuis morbi, ſed ipſius peccati, cuius pena mors & diaboli tyrannis ſit, autorem Adamum eſſe? Sic enim ſequitur per peccatū mors intrauit. Hoc eſt, Quod caro ſuis uiribus, nec timere nec diligere, nec inuocare deum poteſt, eoq; morti obnoxia eſt, corruptio hæc naturæ ab Adamo in nos deriuata in cauſa eſt, Iam ubi deus non agnoſcitur, non timetur, non diligitur, fructus quoq; tot modis uiciatæ naturæ cō

peccati efficatia.

ſpici-

ſpiciuntur. Imò ibi ſeruitus quædam eſt qua miſeri, & diabolo ſubijcimur, & imbecillis natura ad omnis generis flagitia rapitur. Neq; enim mala arbor, bonos fructus proferre poteſt, id quod tum actuale peccatum uocant. Porro diabolo ſubiecti, ac primogenia illa noxa in opus erumpente, filij etiam Satanæ efficimur, ueluti Chriſtus inquit. Qui facit peccatum ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat. E quibus omnibus liquet, originis peccatum, etiamſi morte interueniente in opus ac actū non erumpat, morte ac damnatione dignum eſſe. Nigi. Facis ut pro filiola mea, demortua ſolicitior ſim ac antea. Nam ſi tanta eſt naturæ noſtræ cum fœditas tum corruptio, qui ſcire potero, ſit ne regni cœlorū facta particeps, an ſecus? Hyber. Nihil eſt cur te hic adflictes. Quemadmodum enim Paulus peccati et originē & efficaciā ad Roma. graphice admodū depingit, ita poſt diligentiſſime indicat, per quem liberari hinc nos oporteat. Sic enim inquit: Si unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum per gratiam quæ fuit unius hominis Ieſu Chriſti, in multis exuberauit. Et paulo poſt.

Actuale peccatū.

per quē a peccato liberemur.

Sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem, ita & per unius iustificationem, propagatur bonum in omnes homines ad iustificationem uitæ Audis hic per gratuitam Christi bonitatem & gratiam â peccatis homines liberari. Nigid. Vtinam certus essem, hæc ad filiam quoq; meam pertinere. Hyberi. Certus autem? imò dubitare hic nullus debes. Num enim baptismatis aqua abluta est? Nigi. Quid ni? Hyberi. Quid igitur dubitas? Aut ignoras nihil damnationis esse ijs, qui insiti sint Christo Iesu? Atqui per baptismum Christo inserimur, á peccatis mundamur, filij dei efficimur, spiritũ nanciscimur, breuiter. Aqua & spiritu ita renouamur, ut introire in regnum Dei possimus. Nigi. Quid si prædestinata non fuerit? Hybe. Mihi uero hic tecum, non est instituta de Prædestinatione disputatio, sed generalem scripturæ sententiam secutus, saluam fore confido. Et cur ea de re dubitem, cum certum signum, quo Deus propitiũ se nobis futurum pollicetur, acceperit? Qui crediderit & baptizatus fuerit, inquit, saluus erit.

Baptis. quid efficiat.

erit. Et Paulus in Epistola ad Titũ, nihil obscuris uerbis fatetur, deum nos secundum suam misericordiam saluos facere per lauachrum regenerationis & renouationis spiritus sancti &c. Atq; hanc de baptismo sententiam, usq; adeo ratam uoluit esse Apostolus, ut statim subiecerit. Indubitatus sermo, &c. Nigi. Vnde baptismatis aqua tantam efficaciam nanciscitur? An non spiritus ac peccatorum remissio, per uerbũ donantur. Hyberi. Christus in baptismo per uerbum efficit, quicquid efficit. Cum enim neq; à baptismo uerbum neq; à uerbo baptismus diuelli possit, fit ut perinde sit, siue per uerbum siue per baptismum nos seruari dicas. Quod ni tanta esset baptismi efficatia, iam perpetuo peccatum in membris nostris dominaretur & regnaret. Nigid. Quod igitur ante baptismum regnans in corpore nostro peccatum dicitur, id post baptismum uictum dici potest? Hyberinus Recte. Quanquã enim in baptizatis & spiritu perfusis, reliquiæ peccatorum adhuc supersunt, quæ teste Paulo Ro. 7. nunquã non ijsdẽ facessunt negocium, tamen nocere & incom-

Baptismi efficacia unde

peccati regnans & uictũ.

modare non possunt, Quemadmodum alicubi Augusti. dicit, uniuersum peccatū in baptismo remitti non ut non sit, sed ut ne imputetur. Atq; huc pertinet paulinum illud, peccatum uobis non dominabitur. Nigi. Emphasim habere opinor, quod dicis baptizatis & spiritu persusis, hoc est credētibus peccatum nō imputari, Hyberi. Vere emphasim habet. Nam ijs qui sine Christi noticia uitam transigunt, a fide prorsus uacui nō solum originis morbus, uerūetiam omnes uitiosi adfectus imputētur, ita ut ne tum quidē placere deo possint, cum etiā ab externis flagitijs abstinent. Impossibile enim est absq; fide placere deo. Rursus, qui fide persusi & agnoscunt Christum & tamen nihilominus per carnis imbecillitatē ea interdum designāt, quæ morbo ille gignere solet etiā in sanctis, ijs peccata huiusmodi, modo resipiscētes ueniā præcent non imputātur, sed cōdonant. Hoc est. uenialia fiunt, Nigi. Puto actiones quasdā esse, quarum gratia, & iusti esse desinamus & gracia excidamus. Hoc enim nuper ex cōcionatore quodā mihi auditum est, Hybe. Istuc quis negat? Sunt qui contra conscientiā recipiunt & adprobant

peccata impiorū mortalia omnia.

peccata piorum uenialia

aliquid, eos quis non fateatur peccare mortaliter? Sunt item, qui cõtra conſcientiã externis uitijs & criminibus cõtaminant ſeſe, hoc quoq; hominũ genus, quis nõ uidet, peccata morte digna cõmittere? Quid? Quotquot carnis operibus quorum ad Gala. Paul. meminit, cõtra conſcientiã inquinantur, mortaliter quidẽ peccant, ſed tamẽ reſipiſcẽtibus, adq; cor redeũtib⁹ ueniæ locus nõ negatur. Atq; ab hoc peccatorũ genere dixi antea filiam tuã de mortuam iuſtificatũ eſſe, quam etiã iampridẽ re ipſa expertã arbitror quid ſibi uoluerit Chriſtus, quũ diceret. Sinite paruulos ad me uenire, taliũ eſt enim regnũ celorũ, fauet enim reuera iſti ætati, ut qui maxime, Nigi. Reddidiſti animũ, neq; unquã (modo adfectus iſte uinci poſſit) propter liberorum mortẽ in tantum mœrorem conijci ſuſtinebo, memor quòd domini ſumus ſiue uiuamus ſiue moriamur, Hyberi. Sed quando Marpurgum reuerſurus es? Nigi. Breui. neq; enim a pædagogio meo diu abeſſe poſſum. Adhæc, cõmertio optimorũ uirorũ, quorũ iſtic eſt nõ contemnendus numerus, diu carere nolo, Hyberi:

Chriſtus pueris uel in primis fauet.

Caue autem prius abeas, quam mecum uel cœnes uel prandeas. Adhibebuntur conuiuio nostro festiui aliquot congerrones, & quorum ego tibi præsentiam gratissimam fore scio. Nigid. Qui nam? Hyber. Primus erit Ioannes Kymeus, alter Conradus clericus, quorum eruditione ac moribus unice semper delectatus es. Tertius erit Georgius Siffridus, qui conuiuiũ nostrum facetijs suis, uel solus exhilarabit, Quartum Vuicenhusiam mittent. Nigid. Corunum ne? Equidem ueteres agnosco amicos. Proinde geretur mos tibi.

COLLOQVIVM DE LIbero Arbitrio.

Albulanus. Kymeus.

AVdiui Kymæe scelestum quendam hodie de libero arbitrio scelestissime garriente Et profecto miror, id genus rabulas, inter nos qui Euangelium iactamus ferri ac tolerari, in extremas enim orbis partes, perinde atq; inuti

lia

lia terræ pondera deportari debebant. Kyme. Vbi garrientem audisti? Albula. In diuersorio, adeoq; inter pocula. Kyme. Dignus tali concionatore locus. Quid autem ea de re garriebat Albula. Principio gloriabatur perpetuos sex menses inter pocula uersatum sese, & tamen defatigatum nõ esse. Ad hæc neminem interea temporis oblatum sibi, quem non exhauriendis cyathis superarit. Kymæ. Digna & hæc æbrioso concionatore concio. Albula. Hic quum à uiro quopiam insigniter probo increpitus, audisset, indecoram esse in re in honesta gloriationẽ, propterea quòd Christianũ iuxa Socratis dictum edere oporteat, ut uiuat, non uiuere ut edat, adiecit. Quid mihi tecum est negotij? Non est mihi hac in re uel doctore uel monitore opus. Neq; enim nescio, peccare eos, qui cũ Leontinis semper sint circa pocula. Quia uero nulla in hominibus arbitrij potestas est, ita ut suopte Marte uel auersari quod malum est, uel amplecti quod bonum est quæant, nolo hac in re inanem sumere operam. Proinde tu quoq; ἢ πῖθν ἢ ἄπιθι. Quid obsecro dici poterat ab ho-

Indecora gloria

Vox Epicuræo quopiã nõ Luterano digna.

mine Christiano uel indecentius uel intempestiuius? Kyme. Quemadmodũ non omnes qui citharam habent, citharœdi sunt, iuxta Prouerbium. Ita non omnes qui Christianis adnumerantur Christiani sunt. Et quis huiusmodi nebulonem pro Christiano habeat? Debebant eius farinæ Christiani, nõ Christianorum mysterijs adhiberi, sed ad Coruos ablegari, ut qui non semetipsos solum, falsa persuasione fallant decipiantq;, uerumetiam miris modis Euangelico officiant negocio. Et si quis probe consideret, horum uicio fit, ut passim male audiat Euangelica ueritas. Albul. Imò multos a professione nostra horum improbitas & alienauit hactenus, & in posterum, ni coherceantur, alienabit Kyme. Res fateor scandali plena est, incondita illa uulgi licentia. Cur autem magistratus hic re ipsa non declarat, non frustra gladium gestare sese? Neq; enim negari potest, horum socordia & oscitantia fieri, quod tam incondite uulgus & uiuit & de rebus sacris loquitur. Qui si officij memores, in ordinem huiusmodi nebulones redigerent, caussa aduersarijs nostris

Magistratus officiũ nusquã facit.

ſtris adimeretur indubie, ne bonos uiros hoc nomine perpetuo calumniari poſſent. Albula. Quod pace tua dictum uolo, Sunt qui cauſſam harum rerum partim in Magiſtratum partim in concionatores tranſferant. Quorum quum pleriq; de rebus ſacris, præſertim liberi arbitrij negocio, ualde incommode loquantur, fit, ut multitudo quoq; de rebus non intellectis, & iudicet friuole & loquatur impie, Kyme. Fac ita eſſe. Quid autem mihi ac alijs bonis uiris clamatorum huiuſmodi imputatur improbitas? Magiſtratum hic, quod dixi, aduigilare conueniebat, ne ad docendi prouinciam quoſuis, ſed eos tantum admitterent, qui & rerum ſacrarum gnari eſſent, & experientia ac longo rerum uſu edocti, de ciuilibus quoq; negocijs, & iudicare recte & admonere quemq; officij poſſent. Ego profecto de liberi arbitrij cauſſa ita hactenus docui, ut nec ſocordiam in Vulgo aluerim, nec cuiquam de uiribus ſuis gloriandi anſan præſtiterim. Albulanus. De te, quæ tua eſt modeſtia, non dubito, quin ea trades Eccleſiæ tuæ, quæ & Chriſti

propter malos malepro bi audire nō debent.

promoueant & auditoribus ad ſalutem conducibilia ſint. Et quid uetat, quo minus mihi quoq; racionem ea de re recte iudicandi commonſtres? Kyme. De libero arbitrio diſputaturus ſoleo communiter de duplici quoq; iuſticia uerba facere ad populum. Eſt enim uere duplex iuſticiæ genus, uel uniuerſa ſcriptura teſte, Alterum, quo propter Chriſtum gratis corã deo iuſti reputamur, Alterum, quo cordis iuſticiam hominibus probamus, hanc externam, illam interna uocare ſoleo, Albula. Idem per hoſce dies in Epiſtola quadam Coruini noſtri, ad prudentiſsimum Senatum Goſlarianum ſcripta obſeruaui, etiãſi breuius aliquanto ea de re ibi diſſerat, Kyme. Iam iuſticia illa, qua coram deo iuſti pronunciamur, non eſt noſtrarum uirium opus, ſed dei donum, Imò adeo hac in re humanis meritis locum adſignamus nullum, ut nihil etiam pernitioſius hac operum confidentia in iuſtificationis negocio eſſe propalam adſeramus Quod quum ita ſit, doceo fide opus eſſe, quæ Chriſti promiſsiones adprehendat, adeoq; adprehenſas mordicus retineat, Euangelicas enim

Iuſticia duplex.

Externa

Interna.

Iuſticia fidei.

uim promissiones adprehendere, nihil aliud esse, quàm iusticiam adsequi, idq; per Christum, Albu. Vehementer placet, quod de donis spiritualibus uerba faciens semper addis per Christum, Kyme. Ea Emphasi hisce in rebus modis omnibus opus est, Quid enim habet homo, quod per huius meritum non acceperit? Per Christum remisso peccatorum contingit hominibus, iusticia contingit, uita æterna contingit. Et merito hic Paulus de ijs, qui uiribus liberi arbitrij freti, & donum hoc non agnoscunt & ob quas nescio umbraticas uirtutes sibi ipsis blandiuntur, exclamat, Quid habes quod non acceperis? Si autem accepisti, quid quasi non acceperis gloriaris? Imò ut scias Albulane, ostẽdere hac Emphasi soleo, Adeo in ijs rebus quæ ad dei-cultum & cordis iusticiã pertinent libertatem arbitrij nullam esse, ut ni per Christum hic iuuemur, trahamur, ni spiritu sancto perfusi in nouam creaturam transmutemur, plane actum de nobis sit. Vsque àdeo per Adæ lapsum humanam naturam & corruptam & uiciatam esse. Neq; enim timere deum fidere deo

In rebus spiritualibus libertas arbitrij nulla est.

inuocare Deum, gratias agere Deo, deponere cõcupiscentiam ac sui amorem caro potest, nisi per Christi spiritum, ueluti renascatur & renouet, id quod Christus in Euangelio Iohannis ipse quoq; indicat dicẽs. Sine me nihil potestis facere. Item, Nemo uenit ad me nisi pater meus traxerit eum. Quid? Huc pertinere, quicquid usquam uires nostras extenuat, nemo est qui non uideat. Equidem ante Adæ lapsum, innocenter uiuendi data homini potestas fuit, id quod sapientis dictum indicat. Ante hominem uita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi &c. At uero simulatq; lapsus est Adam, adeoq; Dei præceptum transgressus, quicquid id libertatis fuit, in uniuersum amisit. Ac libertatem arbitrij perpetua seruitute permutauit. Albulanus. Cur seruitutem hanc perpetuam uocas, quum per Christum amissa illa libertas recuperari possit? Si enim filius, inquit, uos liberauerit, uere liberi eritis. Et alibi Apostolus. Vbi spiritus domini, ibi libertas. Kyme. In ijs perpetua est, qui per Christum ex ijs compedibus non liberantur, quiq; spiritu

Libertas arbitrij in Adamo ante lapsum fuit.

ſpiritu Dei donati in libertatem non adſeruntur, Atq; huc iterum pertinet, quicquid uſquam de arbitrij noſtri ſeruitute, ac uirium noſtrarũ imbecillitate in ſcripturis dicitur. Quale eſt illud. Carnalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Item illud. Caro legi Dei ſubijci non poteſt. Item. Quicquid natum eſt ex carne, caro eſt. In id genus locis. Carnẽ pro præſtantiſſimis cum corporis tum animæ uirtutibus uiribusq; accipias neceſſum eſt, ut ſit ſenſus. Ita carnem humanam corruptam & uitiatam eſſe, poſtea quam deliquit Adam, præterea tam potenti impetu ad peccata ac flagitia ferri præcipitem, ut Deũ etiam ac iudicia eius execretur. Tantum abeſſe, ut præſtare per ſe uel uelit uel poſſit, ea quæ præſcribit Deus & exigit. Albu. Nimirũ huc omnia, quæ dixiſti redeunt, ut in iis, quæ ad iuſtificationis cauſſam, qua iuſti corã Deo reputamur, pertinent, nemo ſibi uel tantillũ arroget, ut nemo de carnis ſuæ uel uiribꝰ uel operibꝰ uel meritis glorietur, ut nemo arbitrij fidat libertate. Sed ut de ſuis quiſq; uiribꝰ deſperãs, ab eo ſolũ, & ſpẽ & conſiliũ

Seruitus in qui manea

Caro quid ſit

&

& auxilium expetat, qui gratis & peccatum condonat, & iusticiam impertit, & uitam largitur. Kymæ. Tenes. Albula. Iam quo compendio alterum illud iusticiæ genus tradis? Kymæ. Externam illam iusticiam, doceo in ciuilibus officijs, adeoq; omnis generis uirtutibus sitam esse. Quæ si sint in iustificata per Christum persona, fidei ac bonæ arboris fructus recte dicantur. Si uero conspiciantur in eo, qui ab Euangelica fide uacuus sit, naturæ ac rationis donũ dici posse. Albula. Iusticiam igitur huiusmodi, siue ciuilem, siue politicam, siue carnalẽ uocare libet, uiribus nostris præstari aliquo usq; posse confiteris? Kymæ. Et quibus uel scripturis uel rationibus frętus, negare istuc audeam? Certò enim Christus ipse quandam etiam esse carnis iusticiam fatetur in Euangelio, ubi sic inquit. Nisi iusticia uestra abundauerit plus quã Scribarum & Pharisæorum non potestis intrare in regnum cælorum. Facit hic Christus duplex iustitiæ genus, Pharisaicum uidelicet & uere Christianum. Pharisaicum quod è cordis puritate ac mundiciæ non proficiscebat, adeoq; externis

Externa iustitia in quib. cõsistat.

Etiam Christus ipse duplicem iustitiã facit.

externis tantum operibus ac cæremonijs nitebatur, damnat ac reijcit. Et tamen nihilo minus externam quandam iuſticiam uocat, quam ſuis uiribus Phariſæi ac Hypocritæ præſtare potuerint. Atq; huc pertinere Paulinum illud certum eſt, quo confitetur gentes natura (natura inquam) quæ legis ſint facere, iam ſi gentes, quæ legis ſunt natura faciunt, quid eſt, cur in externis rebus, quandam arbitrij poteſtatem, non fateamur? Equidem á furto, ab homicido, ab adulterio, ab æbrietate (ſi externum opus ſpectes) abſtinere poſſum. An ne uerum hoc eſt? Albula. Qui iſtuc negant, eos ego à communi quoq; ſenſu alienos eſſe, iudico. Quàm enim innocenter, ſi externam operum laruam intueare, uixit Socrates? Quàm pacienter ad ſupplicium rapi ſuſtinuit Phocion? Quàm inculpate uixit Diogenes? Quàm ſapienter uniuerſas res mortaliũ duobus uerbis, Patere & abſtine, Epictetus complexus eſt? Quàm prudenter de politica hac iuſticia iudicauit Cicero? Et quia legum metus hanc ipſam iuſticiam confirmat, quàm de legibus belle idem iudicauit?

Caro ſuis uiribus externã iuſticiã præſtare poteſt.

De

finitio iuſticiæ apud tullium.

De iuſticia prius dicam. Hanc enim ut egregie ubiq; definit, habitum animi uocans, communi utilitate conſeruatum, adeòque ſuam cuiq; tribuentem dignitatem. Ita nuſquam non miris effert laudibus. Iuſta, inquit in officijs omnia decora ſunt. Iniuſta autem contra ſic indecora ſunt, ut turpia. Alibi de Amicitia. Fundamentum inquit, eſt perpetuæ commendationis & famæ, iuſtitia ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. Quid? An non primo libro de legibus ingenue fatetur, nihil præſtabilius eſſe, quàm planè intelligere, ad iuſticiam nos eſſe natos? Huiuſmodi iuſtitiæ Encomia ab homine Ethnico expectari non poterant, ſi naturæ lumen in uniuerſum extinctum eſſet in hominibus. Kyme. Recte iudicas, Albu. Iam quod ad commendationem ciuilium legum adtinet, quid rectius uel a Chriſtiano dici poterat, quã quod ea de re idem ſcribit Tullius? Profecto, inquit Sic res habet, ut quoniam uiciorum emendatricem legem eſſe oportet, cõmendatricemq; uirtutum, ab ea uiuendi doctrina ducatur. Conſtat, inquit, profecto, ad ſalutem ciuium ciuitatumq;

Egregia iuſticiæ & legũ encomia

tumq; incolumitatem, uitamq; hominũ & quietam & beatam, inuentas esse leges. Kyme. In eadem hic sumus sententia. Neq; è grege nostro quemquã arbitror esse tam bardum uel stolidum, qui non idem nobiscum senciat. Nimirũ quod in externis rebus frenare semet caro possit, præstare ciuilem iusticiam possit, abstinere à uetitis & illicitis possit. Est tamen quod te hic moneam. Exigit scriptura internam iuxta ac ciuilem iusticiam, Fateor. At uero si ciuilem ab interna separes, Iam quidem corã hominibus iusticiæ nomen meretur, sed apud Deum non item. Imò nisi è priore illa, perinde atq; fonte dimanet, iam non iusticia, sed Germanæ iusticiæ umbra tantum est ac larua, eoq; fucus & hypocrisis ubiq; à Christo uocatur. Et quemadmodum in extremo illo die, quum ad Christi tribunal sistemur, accepturi dignam operibus nostris mercedem, Pharisaicas cristas ac supercilium ab se & abiget Christus & detestabitur, dicens: Discedite a me operarij iniquitatis, non noui uos. Ita Philosophicas quoq; uirtutes illas, imò uirtutun laruas nullo

Necessaria admonitio.

Fucum Christus nullo dignatur præmio.

nullo præmio dignabitur, propterea quod cum cordis iusticia coniunctæ non fuerunt. Proinde ut hæc uiuendi a philosophis tradita honestas ac ratio, ad conseruandam humanam societatem permultum ualet, eoq; legibus ac minis abinuitis etiam extorquetur, Ita aliud iusticæ genus est, per quod ad Christi regnũ peruenitur, Albula. Nimirum cordis iusticia, Kyme. Sic est, Quum enim diuina lex non externum opus tãtum, sed adfectus quoq; ipsos requirat, Iam ita demum Christianæ recte uitam instituisse, iudicandi sunt, qui politicam iusticiam cum cordis probitate coniunxerunt. Hæc coram deo propter Christum acceptum facit, illa apud homines tantum commendabilem reddit, ueluti Paulus quoq; ait, Non qui seipsum cõmendat, ille probatus est, sed quem deus commendat. Et Christus apud Matthæum beatitudinem pollicetur, non ijs qui in speciem tantum honestæ uiuant, sed quorum corda munda sint. Sic enim inquit. Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebũt Albu. Ego uero ad hanc cordis iusticam haud ita multos peruenire arbitror, propterea quòd

Lex adfectus nõ tantũ operum laruam requirit.

multi

multitudo ferè contemnens dei est ac Euangelij. Kymeus. Vere per pauci huc perueniunt. Et tamen nihilo minus inculcãda ac urgenda est. Quòd si tum pauci conciombus nostris optemperarint iam & nos officio functi sumus, ne culpam reijcere in nos queant, & illis omnis excusationis locus ademptus est, Albula. Interim tamen monẽdus est Magistratus opinor, ut ui ac gladio ad honestam uiuendi rationem publicæ societatis conseruandæ gracia, inobedientes adigant, Kymeus, Omnino monendus, Albulanus. Profecto si in Liberi arbitrij caussa, sic populum doces, Iam cur culpari possis uel tu, uel alij qui ad hunc modum tecum sentiunt, non ut deo, Kymeus. Sic tua nunc est ratio, cum contra totus orbis ferè concionatorum uicio fieri arbitretur, quod tàm mali sunt homines, quòdq; tam scelerate ubiq; uiuitur, Et nescio an ullum in terris hominũ genus hodie sit, quod hoc nomine peius, atq; nos, audiat, Tanguntur alicubi e cœlo fruges? Reijcitur caussa in uerbi ministros, Carior est alicubi annona? Concionatores in caussa sunt, Bella alicubi exoriun

Monẽda & arguẽda multitudo

Monendus magistratus

Male audiũt concionatores sed quã uere, Christus aliquando iudicabit.

tur ac seditiones? Noua illa Euangelij doctrina ius uocatur. Denique quum constet, omnes omnium hominum status esse quàm corruptissimos, ita ut Propheticum illud, A planta pedis usq; ad uerticem capitis non est in eo sanitas nũquam eque recte usurpatum sit. Tamen omnes ferè sibi blandiuntur. omnes a peccatis alieni esse uolunt, deum abunde satis placatum existimantes, si Luterum criminentur ac concionatores, quasi qui harum calamitatum capita sint & causa, Albula. Si uos orbi inuisos esse negem, quàm recte id faciam uiderint alij, certe meminisse uos nihilo minus officij uestri oportet, ut ne quod falso de uobis dici, multi boni uiri norunt, merito de uobis dici uideatur.

Quæ res cõciona tores cõ solari debeat,

Quod si interim mundus & pessima queq; de uobis finxerit, & inuidẽtiæ suæ uirus euomere in uos non cessarit, est quod adfatim uos consoletur, nimirum illud Christi, Nolite mirari si odit uos mundus. me enim priorem uobis odio habuit. Item paulinum illud, Si hominibus placerem Christi seruus non essem, Kyme. Si ab officio, malorum insania ac odium, transuersos

sos agere nos potuisset, lampridem uerbi ministerium deseruissemus. Quia uero tum demum prouere concionatoribus haberi meremur, cũ proscindimur ab omnibus, cum omnium fabula sumus, cumq; nulla in re adplaudentem mundum habemus, cessatores nequaquam erimus. Sed tantisper in peccata inuehemur, contritis interim peccatorum remissionem adnunciantes donec naticinis huius ter pessimæ, peccata adimpleantur, Ea enim ubi impleta fuerint, magnũ illum domini diem accelerabunt, in quo & impietatis suæ penas dabunt, & piorum multa in celis merces esse incipiet, Albula. In eum diem seruet nos immaculatos dominus, Kyme. Amẽ.

Cordati concionatoris uox.

PRIMI LIBRI THEOLOgicorum Colloquiorum finis.

SEQVITVR LIBER Secundus.

INCIPIT SE-
CVNDVS LIBER.

COLLOQ. DE LIBER-
tate Christiana.

Philostasius. Vegetius.

EQVIDEM recte quidam apud Terentiũ stomachari, inique comparatũ esse, ut pauperes semper aliquid addant ditioribus. Quid enim, si quis mei ac mei similium conditionem exactius consideret, uerius dici poterat? Taceo decimas, taceo annuos redditus, taceo uectigalia, taceo tributa, & omnia onera publica. Nã ista quanquã plus æquo onerosa sint, tamen si nullum humeris nostris onus imponeretur præterea, ferri utcunq; poterant. At uero eæ pensiones, quæ maleferiatis monachis & sacrificulis in singulos annos penduntur, an tolerari diutius possint nescio. Vege. Quid hic secum mussat? Cui succenset? Adibo ac colloquar. Salue Philostasi. Philostasius. Et tu Vegeti salue. Sed cõmodũ

modum aduenis. Nollem alium mihi iam atq; te dari. Vegeti. Cur istuc? Philosta. Vt iram hanc qua incandui, in te euomam. Vegeti. In me? qua de caussa? quid feci? quid commerui? Philosta. De libertate Christiana, quot uerborum modios inter concionandum hactenus effuderis, non puto ignorare te. Vegetius. Christianam libertatem docui, fateor, Sed quid, tum postea? Philostasi. At nihilominus bona nostra exugunt sacrifices, & uesana illa rasorum turba. Vel hodie quàm tyrannice quos nescio redditus à parentibus meis exegit, obesus ille ex diui Benedicti sodalitio œconomus? Vegeti. Si ab huiusmodi oneribus liber esse uoles, cucullum & ipse indues. Philosta. Quid? Ita ne ueterem & discipulum & amicum ludis in re seria? Mihi uero de libertate tecum instituetur quæstio. Vegeti. De libertate? quid igitur libertati cum ijs redditibus, quas tu pendis monachis? Pretiosior ea est, quàm quæ ijs rebus, temporariæ ac caducæ quæ sunt, admisceri debeat. Philo. Si liber igitur non sum, quid libertatem urges ac prædicas tantopere? Siccine uerba nobis da-

uulgus carnalis libertatis amãs

ri oportet? Veget. Libertatis rationem, aliter atq; à nobis traditur accipis. Neq; enim qui liberi sunt, ita liberi sunt in Christianismo, ut quod libet ijsdē liceat. Sed ita potius libertatē amplectit Christianꝰ, ut à peccatis adeòq; legis maledicto liberatus, omniū iam se seruū cōstitutū meminerit. Phi. Quid? Seruus iuxta ac liber esse possum? Nō est ueriſimile, adeòq; lōge aliud sibi uult libertatis uocabulū. Veg. Nos de ea libertate, qua uulgus ad nequitias fenestrā sibi in inobedientiā aperiri existimat, loq; non solemus. Aliud quiddam est, ueluti antea dixi, in Christianismo liberū esse. Phi. Quomodo ergo usi sunt libertatis uocabulo ueteres? An nō Græciæ ciuitates ideo dicebantur liberæ, quod a regū exactionibus immunes erant?

Liberæ ciuitates

Veget. Vt maxime ab exactionibꝰ immunes fuerint, tamen legibus suis uiuebant. Quemadmodum hoc quoq; tempore ciuitates pleræq; (imperatorias uocant) liberæ dicuntur, non quod in ijsdem quiduis cuiuis liceat, sed quod suis legibus uiuant. Iam leges quidlibet audendi potestatem, cui permittunt obsecro? Sed age, uideamus

deamus ut Cicero usus hoc sit uocabulo. Quid est libertas inquit? Potestas uiuendi ut uelis. Quis igitur uiuit ut uult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui uiuendi uia considerata, atq; prouisa est, qui legibus quidem nõ propter mœtum paret, sed eas sequitur atq; colit, quia id salutare maxime esse iudicat? Huc adde Socratis illud, qui interrogatus, ecquem è Philosophiæ studio cœpisset fructum, respondit, ut liber esse sciam, prauas nimirum cupiditates intelligens, quibus ingenuam mentem seruire non oporteat. Philo. Nimirum huc oratio tua redit, ut seruũ me pariter ac liberũ efficias, quum tamen cœlũ à terra tàm non distet, quàm est ingens inter seruitutẽ & libertatem discrimen. Vegeti. Scio apud Romanos olim, aliam seruu, aliã liberi fuisse conditionem. Sed nos hisce de rebus Christianẽ loquimur, apud quos ita cõiunctæ sunt, ut separari nulla ratione possint. Phi. Plane me in biuiũ abducis, proinde audire cupio, quanã ratiõe uera hæc esse possint. Ac quidẽ principio dic, qua ergo in re Christiana libertas sita sit. Veg. Liberũ in Christianis

Libertatis uocabulum apud Cicero.

Libertas Christiana quid.

mo esse, nihil aliud ẽ, atq; à peccato, á legis maledicto, ámorte, à Satana, & ab inferno liberatũ esse idq; gratuito per Christũ, Philostasius. Verũ de exactionib⁹ uerbũ nullũ, Veg. Recte nullum. Libertas enim hæc spiritus & conscientiæ libertas est, & àdeo ad politicas exactiones trahi non potest: ut si huc detorqueatur, libertas etiam dici non possit. Sed num tu rem leuiusculam esse putas, a peccato ne accuset, aq; lege ne damnet liberari? Profecto an maior homini libertas contingere possit nescio, ut quæ omnium rerum dominos, propter Christũ nos constituat. Imò quorsum a temporarijs aliquot oneribus exonerari, adtineret, si serui interim esse pergeremus iniusticæ? Neq; enim omnino uanum est, quod uulgo dicitur, Male liberum esse, in quem Satanas habeat imperium, Philo. Audiui tamen quendam in suggestu, nõ tàm cõscientiæ & spiritus, de qua dicis tu, quàm externam libertatem adserentem, ut interim taceã quid huius in publicis prælectionibus ante hac audierim, Vege. Ea sectio & tractata recte, & intellecta cõmode, nihil periculi habet, adhi-

adhibenda autem hic ſumma prudentia eſt, ut ne quum externũ quoddã libertatis genus tradimus, carni, quòd ferè fit, peccandi occaſionẽ præbeamus. Neq; enim abs re dixit apoſtolus. In libertatem uocati eſtis fratres, tantum ne libertatem in occaſionem detis carni, Philoſta. Quin tu igitur inter utrumq; illud libertatis genus diſtinguis recte? Vege. Internum illud ac ſpirituale paucis iamdudum attigimus. Atq; de eo ferè ſcriptura loquitur, quoties libertatis mẽtionem facit. Huc pertinet illud apud Ioannem. Si uos filiꝰ liberarit, uere liberi eritis & ueritas liberabit uos. Iurgiũ ibi inter Iudæos ac Chriſtum fuit, Iudæis corporalem quandam libertatem ſomniantibus, Chriſto ad internam ac ſpiritualem modis omnibus reuocante, ut quæ in remiſſione peccatorũ, in donatione ſpiritus, in uitæ immutatione, deniq; in ultronea & ſpontanea præceptorum impletione ſita ſit. Hinc Paul. quoq; dicit. Vbi ſpiritus domini, ibi libertas. Fatetur Apoſtolus quandam libertatem eſſe, ſed ſpiritus, ſed cordis, ſed conſcientiæ, & quæ de ciuilium onerum liberatione neutiquã

prudentia in docẽdo opus hoc tẽpore

Libertas interna.

intelligi posit. Philosta. Et tamen externum quoddam libertatis genus esse confessus es. Veget. Haud nego. Philosta. Illud ipsum igitur qua in re situm est? Vegeti. Vt sciamus ab ea legis parte liberatos esse nos, quæ & cæremoniarum Iudaicarum descriptionem, & iuditiorum formas continet. Hic enim ita liberi sumus, ut alijs Cæremonijs, præsertim quæ cum Euangelio non pugnent, alijs item legibus, posteaquã gentium gladiũ Deus adprobauit, uti nobis permissum sit. Philost. Quid? An non ab uniuersa lege liberati sumus? Cur igit Paulus inquit? Postquã uenit plenitudo temporis, misit Deum filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. Generaliter opinor hic de tota lege loquitur. Vege. Quod ad iustificationis caussam adtinet, liberati ab uniuersa lege sumus, etiam Decalogo, ut qui maxime damnationẽ, ni prestet, intentet. Neq; enim iustificatio â decalogi impletiõe, sed à gratuita Dei beneficentia, quã p Christũ orbi exhibuit, pendet. Et eatenus coram deo iusti reputamur, quatenꝰ illã ipsã beneficentiã, fide adprehendimꝰ. Quòd uero ad o-

Libertas externa.

Quatenus a lege liberati simus.

bedientiã adtinet, iam adeo liberati à decalogo nõ sum⁹, ut ni is præstet, ne Christiani quidẽ dici possum⁹, ueluti Christ⁹ quoq; dicit. Si uis ad uitã ingredi, serua mãdata. Est tamẽ altera hic pij, altera hypocritæ adfectio. Qui uere pij sunt, ij sponte, libere, hilariter, deniq; nullo pœnæ metu faciunt quod præscribit & exigit lex, interim opera istæc pro nulla re alia, ac fidei fructibus habentes. Hypocritæ uero, quicquid huius faciunt, in speciem faciunt, interim operibus istis suis iustificationem quoq; adscribentes. Philo. Vera fortaßis sunt hæc. Sed si alijs, hoc est inuentis ab hominibus cœremonijs uti licet, iam de nouo humanis etiam traditionibus subijcies nos, idq; contra Pauli sententiam, cuius uerba sic habẽt. Empti estis pretio, nolite fieri serui hominũ. Vege. Sunt βαρβαροι ἐκ πιόδου quidam, qui quũ libertatis mentiònem in cõcionibus audiunt, statim sine iuditio, & morum omnium & legũ & honestatis contemptum induunt, perinde ac si carere Pædagogia mortalium uita posset. At istos Israeliticorum castroꝝ percacatores, neutiquã hic ferri oportet.

pædagogia in Ecclesijs necessaria.

tet. Propterea quod summa in hisce rebus prudentia, summo iudicio, summa deniq; cautione opus est, ne quid secus hic ac Christianos decet faciamus. Quid enim Pædagogia istiusmodi, si cum uerbo non pugnet, Ecclesiæ obest? Equidem sunt constitutiones quædam, & propalam cum Euangelij doctrina pugnantes & laqueos conscientijs nostris injicientes, quales sunt illæ de Cœlibatu sacerdotum, de uotis monachorum, de nundinationibus Missarum, & alia prope infinita. Ab ijs, quia cum uerbo pugnant, plane liberi sumus. Et adeò hic eorum qui Ecclesiæ capita uideri uolunt, autoritas ligat neminem, ut confidenter etiam, si de tyrannide sua remittere uolent nihil, contemnenda sit, ueluti in Actis Apostoli, quum Euangelicã sementem facere prohiberentur, non solum dicto audientes non fuere, uerumetiam confidentissime mortem ac resurrectionẽ Christi, per quam salus orbi contigerat, urgere perrexerunt, ita ut ne flagris quidem deterreri à proposito potuerint. Philo. Istum contemptũ laudo. Veg. Sunt & aliæ constitutiones, de rebus mediis (Philip. noster ἀδιαφόρα uocat) præcipi-

Res mediæ quatenus seruandæ.

entes. Eæ aliàs contemni, aliàs cũ propter charitatem tum propter publicam pacem ſeruari poſſunt. Philo. Hic expecto an plauſibilia dicturus ſis. Atq; heus, quando id genus traditiones uel obſeruandæ ſunt uel uiolandæ? Veget. Si neq; pro cultu Dei habebuntur, neq; iuſtificationis negotio admiſcebuntur, iam obſeruari cum publicæ pacis gracia tum propter diſciplinam, cui adſuefieri iuuentutem ab ipſis incunabulis oportet, debent, iuxta illud. Omnia apud uos ordine fiant, item illud. Lex Pædagogus eſt ad Chriſtum. Huc adde ſcandali rationem quam modis omnibus haberi oportet. Vt maxime enim mediæ iſtæ res coniunctam libertatẽ habeant, tamen danda modis omnibus opera eſt, ut ne quod facimus, cum infirmi fratris offendiculo faciamus. Quemadmodum Paulus Timotheum in gratiam infirmorum quorundã fratrum, circumcidi paſſus eſt, quum contra Titum, à quo plæriq; circumciſionem, perinde atq; ad ſalutem neceſſariam exigebant, circumcidi non ſuſtinuerit. Et quis Vulgatiſſimum illud è Paulo ignorat. Omnia mihi licent, ſed non:

Scanda la uitanda.

non omnia expediunt? Sin uero inter ea numerabuntur quæ & ad ſalutem neceſſaria ſunt, & ad dei cultum pertinent, iam & contemni debent, & libertas, qua nos Chriſtus donauit defendi, Neq; enim abs re per Prophetam dominus locutus eſt, Fruſtra me colunt præceptis hominum, Philoſta. Num latius libertas noſtra patet? Ego hactenus in ea fui ſententia, eos qui per Chriſtum in libertatem adſerti ſint, a penſionibus quoq; & exactionibus liberatos eſſe, Vegetius. Falſus hic opinione es. Vt maxime enim liberi ſint filij regni, tamen cum propter charitatem, tum propter ſcandalum uitandum, publicis oneribus ipſi quoq; ſupponũt humeros idq; Chriſti exẽplo, qui & ipſe una cũ Petro apud Capernaitas, ijs qui didrachma accipiebãt ſtaterẽ ſoluiſſe legitur. Atq; hæc demũ charitas quamquã liber ſim, tamen omniũ me ſeruũ cõſtituit. Liberũ eni fides, ſeruũ charitas efficit Libertas ad ſpiritũ, ſeruitus ad corpus pertinet. Liberi ſunt, quib⁹ per Chriſtũ peccatũ condonatũ eſt, Serui ſunt, qui ꝓpter Chriſtũ omnib⁹ ex equo expoſiti ſunt. Sic Pau. quamquã liber eſſet

Exẽplũ Chriſti politicis oneribus ſubĳcit nos.

esset tamẽ omniũ se seruũ esse fatebat. Quàm igit̃ separari a fide charitas, quàm seiungi ab igne calor nõ potest, tàm a Christiana libertate diuelli seruitus nõ potest. seruitus inquam illa, quæ proximi nunquam non inseruit commodis. Sed heus Philostasi, Cur externam, imò carnalem istam libertatem tàm uenaris anxie, quũ eandem nec sacræ literæ doceant, nec cui quã unquã hic impegisse feliciter cesserit? Possem istuc multis ueterũ exemplis probare, nisi ad manũ essent recentia. Nõdum enim in obliuionem uenere Munt̃eri conatus. Is quoq; in ea fuit sententia ut carnis libertatem sacras literas tradere arbitraretur. Qua in re quum nimium diligens concionator esset, factum est, ut non solum se, uerum magnum agricolarum numerũ in pernitiem secum adduxerit, An non hic præstiterat spiritus libertate contentum esse, quam carnalem querendo, in tanta cum corporis tum animæ pericula conijcere sese? An non malum turdus hic ipse sibi cacauit? Huc adde Monasterienſium exemplum, miserabile quidem illud, sed in quo nihil præter meritum, militaris su-

Christianus liber & seruus.

Munterana seditio.

ror deſignauit. Mouerant loco per ſeditionem Senatum. Ciuitate multos bonos uiros eiecerãt aliena bona diripuerant, deniq; gladiũ nec iuſſi a deo nec uocati uſurpauerãt. Qua in re quum a principibus aliquot & confederatis ciuitatibus fruſtra admonerentur, neq; quiſquam admonitionibus huiuſmodi ad pœnitentiam commoueretur, dederunt tandem & ipſi pœnas impietatis ſuæ, Philoſta. Atqui Monaſterienſes ego nõ ob negatas penſiones, ſed ob Anabaptiſmum deletos audio. Vege. Nihil falſus es, modo ſcias, Anabaptiſmum ſeditionem coniunctã habere. Quid enim fanatici iſti aliud ac rerum omnium ſubuerſionem quærunt? adeòq; optimarum rerum interitum? Ipſi reſtitutionem uocant. Scilicet quæ collapſa ſunt iſti reſtituent, Sed pinde fortaſsis reſtituẽt omnia atq; Muntzerus agricolas in libertatem adſeruit. Qui quum cerui cibus noſtris iugum nobilium ſe excuſſurum iactitaret, non ſolum in re ſeditioſa & parum pia operam luſit, uerum etiam illud ipſum iugum conduplicauit. Phil. Quid igitur faciam, ſi ſic res habet? Vege. Turbatoribus iſtis

Anabaptiſtarum ſeditio,

istis Ecclesiarũ, adeóq; rerum publicarũ uastatoribus uale dices. Et quum in hac uita publicis oneribus exonerari neq; possimus neq; debeamus (neq; enim frustra Deus & Magistratum & politicam uiuendi rationem adprobauit) danda est opera, ut in ijs quæ ad publicam pacem pertinent, dicto audientes simus, idq; non solum propter necessitatem, uerumetiam propter conscientiam. Sponte decimas, sponte pensiones annuas, sponte tributum, sponte uectigal dabis, idq; ijs quibus magistratus iusserit. Quid tua refert, quales sint, hæc qui accipiũt, modo tu & Christiani & boni uiri fungaris officio? Ante omnia huc studia tua fac cõferas, ut quum natura libertatis ferè amantes simus, eam libertatem consequare, quæ uitijs nullis, cupiditatibus nullis, prauis adfectibus nullis, obnoxia sit, & quæ à peccatis in hoc se liberatã meminerit, quo iustitiæ solum & proximo uiuat, de quo libertatis genere Augustinus quoq; in hunc modum dicit. Quem uera libertas delectat, ab amore rerum mutabilium liber esse appetat, & quem regnare delectat, uni

Sanum consiliũ

Augustini sentẽtia de libertate.

omnium regnatori Deo subiectus sit, plus eam diligendo ac semetipsum. Ita enim fiet ut quod alioqui inuitus & nolens facturus eras, id tum sponte ac hilariter facias. Philo. Age, si sic res habet, uincam me ipsum, quodq; hortaris sedulo faciam. Tu me tantum si quid præter officiũ designaro, uide sis commonefacias, Vegeti. Si & docilis esse uoles & iter commonstranti aurem prebere, facile ut ne a uia aberres effecero Quid enim me, hac in re deceat, scio. Contra te quoq; officij oportet esse memorem. Ecquid uis amplius? Philo. Nihil præterquã ut perpetuo mecum ualeas.

COLLOQVIVM DE VERO cultu dei.

Curio. Alutarius.

VNDE nobis cum isto tuo, quod uocant, rosario? Aluta. E diui Blasij templo, Curio. Quid tibi istuc negocij fuit? Aluta. Quasi uero in sacris ædibus quid agatur ignores, Curio. Atqui non abs re hoc ipsum quero. Miror enim quid tibi acciderit, ut in templo potius conspici, a quo semper perinde atq; aconito

abhorruisti, malis, quam in œnopolio. Alutari. Quicquid huius factum est, meo nõ tuo periculo factũ est, Imò Luterani tui, quo minus loca sacra subinde adierim hactenus in causa fuerunt, Curio. Luterani ne? Qui fit istuc? Alu. nunquã in eas ecclesias quibus isti præsunt ingredior, quin uel concionantẽ aliquem offendã, uel uulgũ patria lingua psalmos decantatẽ. Quas ego res nec ferre possum. nec rite fieri existimo Quis enim semp eadẽ in cõtionibus chorda oberrantẽ, adeoq; plebẽ eandem cantilenã occinentẽ audire sustineat? Præsertim uero hic cõcionatores importuni sunt, semper in peccata inuehunt, semper pœnitentiã inculcãt semp Christũ crepãt, semper fidẽ urgẽt semper charitatẽ in ore habẽt, et quã nescio crucem. Quanto satius erat cæremoniarum uarietate, id quod factitarũt patres nostri, demulcere populi animos, adq; dei timorẽ puocare. Curi. Cõciones de pœnitẽtia de Christo, de fide, deq; cruce nescio an ulli odiosæ esse possint, quũ in hiscerebus cardo uertatur rerum Christianorum. Et certè quos Euãgelicæ cõtiones nõ adficiũt, eos

Quibus in rebus Christiana religio consistat.

neſcio, quæ tandem cæremonia adficere poſſit. Quid quod conuocandi populi præcipua cauſſa eſt, ut uerbũ & prædicet & audiatur? utq; deim Deus, quò fructum faciat, interpelletur? Neq; enim uideo, qua quis ratione Chriſtianus dici poſsit, qui nõ ueritatis ac uerbi ſemper ſit ſitientiſsimus. Quemadmodũ Chriſtus inquit. Qui ex Deo eſt, uerba dei audit, propterea uos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Equidem fateor, inanem βατταλογίαν tibi tuiq; ſimilibus uideri, ſi identidem Chriſtus ingeminetur, adeòq; ſi, quæ ad Chriſtianiſmum pertinent, urgeantur. At nos cum Apoſtolo, qui & ipſe Corinthijs nihil ſe præterquã Chriſtum adnunciaſſe gloriatur, ſcimus haſce Euangelij cõciones Dei uirtutem & Dei potentiam eſſe, idq; ad ſalutem omnibus credentibus. Quum igitur tam ad ſalutem neceſſaria res ſit ſacra cõcio, iam recte atq; ordine eos facere arbitror, qui nullam cæremoniam, quantumuis plauſibilem, uerbi prædicatione potiorem habent. Nõ quod cæremonias ex æquo omnes damnem, ſed quod uerbum debito honore fraudandum non

Verbum cæremoniis præferendũ.

non censeam. Alutarius. Mihi hic placet illa uulgo usurpata uox. Ne quid nimis. Certè enim oportet modum esse hac in re quendam, Curio. Nulla in uniuerso orbe res est, quæ nõ nisi modus adhibeatur, fastidium habeat. Sola audiendi uerbi sitis, nec satietatem nouit nec fastidium sentit, id quod uidere est in Magdalena, quæ ne quærimonijs quidem Martæ, à docentis Christi ore submoueri sustinuit. Alutari. Facile tibi ut sic sentias permitto, modo mihi quoq; abundare in meo sensu permittatur Sed Germanicas istas cantilenas, quis tandem malus genius inuexit in Ecclesiam? An non satis cõtionum à patribus inuectum fuit antehac? Curio. Imò quæ saga cerebrum incantauit tuũ, ut rem suapte natura bonam calumniari ac pro re noxia habere audeas? Non sat habes de uerbo, cuius autoritatem apud omnes sacrosanctã esse conueniebat, contemptim loqui, nisi Psalmos quoq; Dauidicos, ac alias spirituales cantilenas, impudenter contemnas? Quin uero quẽ hic contemnas expendis diligentius? Neq; enim Luterani, morem hunc Psalmos ac spiri-

Mos cantandi psalmos unde.

ales cantilenas in ecclesiastico cœtu decãtandi primi excogitarunt, A diuo Paulo perinde atq; utilis & ad decentem ordinem necessarius, ecclesiæ traditus est, Quem cum contemnis uidene Christum ipsum, magno tuo malo contẽnas. Nisi forte ioco dictum & inter pocula existimas. Qui uos contemnit, me cõtemnit. Item Quicquid feciſtis uni ex minimis meis, mihi feciſtis. Sed quid tandem istud Canonicorum tuorum lupercal (lapsus sum, templum dicere uolebam) habet, quod oblectare maximopere possit pium & Christi amantẽ animum? Alu. Dicam. Habet egregie pictos parietes, habet egregie instructa altaria, habet insigniter ornatas anathematis testudines, Quid dicam de sacris illis & uariegatis uestibus? de uasis? de q; uniuersa illa panoplia, qua Vlissæ sacrum ornari consueuit? Huc accedit ecclesiasticus cãtus, symphoniscorum concentus mirus omnium rerum ordo, quibus omnibus tanta inest & uis ut uel saxeum pectus emollire, adq; celestium rerum contemplationem rapere possint, Taceo ipsum Missæ sacrum, cui interesse, summa demum meo iuditio fœlicitas est, præsertim si co-

Cultus papisticus.

lophonem expectes, aq; ſacerdote benedicti onem accipias. Ecce tibi nunc earum Eccleſiarum, quas tu Satanæ conciliabula uocitare ſoles, ritus, eccum cultum quo deum demereri ſibi ſtudent, Curio. Quantum audio, non omnino in percenſendis ſacrificorum tuorum cultibus elinguis es, Poteras ſi te œnopolia carere poſſent, inter aſinos iſtos ſimiam agere. Et tamen quum omnia ferè ornamentorum genera, quibus in templis ſuis uti conſueuerunt, ordine propemodum enumeraris, precipuum quiddam excidit tibi, Alut. Quid nam? Cur. Concubinarum quas domi alunt, ornatus. Eas enim ut ſolas habent hoc tempore fabulæ ſuæ ſpectatrices, ita nihilo minus atq; altaria ipſa ornant ſuſpiciuntq;. Neq; enim audeo dicere, Diuarum loco habent, Aluta. Ego uero de eccleſiaſtico cultu nō de concubinis dicere iuſſus erā etiamſi me quoq; habeat male, quod ijſdem parum caute utantur, Curio. Iſtum igitur ornamentorum, uaſorum & cantionum adparatum pro cultu habes, quem & deus præcepe rit, & in eccleſiis conſpici oporteat? Aluta.

Concubinæ ſacerdotum.

Quid ni? Curi. Audi igitur, an qui patres ſemper in ore habes, cũ patribus hic quoq; ſentias. Hieronymus ea de re ſic inquit, alij ædificẽt eccleſias, ueſtiant parietes, columnarum moles aduehant, earumq; deaurent capita, præcioſo ornatu & gemmis deaurata diſtinguant altaria, ſed tibi aliud ſit propoſitum, ſcilicet Chriſtum ueſtire in pauperibus, paſcere in eſurientibus uiſitare in languẽtibus, ſuſcipere in eis qui tecto indigẽt, maxime fidei domeſticis, cui adſtipulatus Bernardus, O uanitas uanitatũ inqt ſed nõ uanior, quã inſanior, Fulget eccleſia in parietib⁹, & eget in pauperib⁹ ſuos lapides auro induit, & filios ſuos nudos deſerit, deſumptibus egenorũ ſeruitur oculis diuitũ, Audis hic quãti præpoſterũ iſtũ cultũ patres etiã faciãt? Aluta. Ego immodicum hic earum rerum luxum, non moderatum uſum damnari exiſtimo. Curio. Imò hiſce rebus nequicquã deum coli adſerunt, Quid? Verum dei cultum ex Euangelicis literis audire libet? Veniet hora, inquit Chriſtus, quando neq; in monte hoc, neq; hieroſolymis adorabitis patrẽ, uos adoratis quod

neſa-

neſcitis, nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt. Sed uenit hora & nunc eſt, quando ueri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & ueritate. Vtinam cum tibi tum ſacrificis tuis omnibus non uſu ueniat, quod de Iudæis hic Chriſtus dicit, nimirum quid adorent, ignorare eos. Cum enim illorum exemplo cultū dei & ad locos & ad tempora & ad ſtatas horas adligent, uereor ne nō torqueri in illos poſſit, quod a Chriſto in Iudæos hic detortum eſt Aluta. Atqui alia ratio eſt Iudæorū atq; Chriſtianorum. Et de Iudæis dictum quod eſt, intelligi de Chriſtianis non poteſt, Curio. Quid uero ſi Iudaiſſent? hoc eſt, ſi pro interno cultu carnalem cum Iudæis amplectantur? An non arguendi hic ſunt? Sed uere dicis aliam Iudæorum, aliam Chriſtianorum rationem eſſe. Iudæorum enim cultus ferè carnales fuere, quum cōtra Chriſtiani in ſpiritu & ueritate deum colant & inuocent. Spiritus in ſcripturis carni ferè opponitur, & hypocriſi ueritas, Iam quum Chriſtus ſpiritum & ueritatē Iudæis adimat, adq; ſuos Chriſtianos ableget, adparet in eo populo

uerus cultus dei ex Euāgel.

ſpiritus. Caro.

pulo nil nisi carnalem cultum, adeoq; (si paucos excipias) meram hypocrisin fuisse. Alioqui dicturus erat, quemadmodum Iudæi in spiritu & ueritate adorarunt hactenus, ita mei quoq; discipuli post adoraturi sunt. Proinde eos demum rite colere Deum scias, qui eundē filiali adsectu timent, eidem fidunt, eundem inuocant, omni in illum coniecta miserrimæ huius uitæ solicitudine, quem postea cultum, uera etiam sequitur in pauperes beneficentia. Alu-

Quasi uero carnalia quoq; (quales fuerunt omnes Iudæorum cæremoniæ) Deo ob adnexum uerbum & præceptum non placuerint Curio. Placuerunt, sed tum solum, cum fides adfuit. Ea enim quicquid agit, id non potest non esse Deo gratissimum, propterea quod in uerbum illius ac præceptū semper defigit oculos. Quòd si non adfuit fides, iam inuisa etiam id genus sacrificia Deo fuisse constat, tantum abest, ut placuerint. An non omnes ferè Prophetæ istuc confessi sunt? Dauidis uox est. Si uoluisses sacrificium dedissem, utiq; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus

Propter fidem accepta deo sūt omnia.

con-

contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despities. Huc adde illud Esaiæ. Ad quid mihi multitudo sacrificiorum uestrorum? Saciatus sum holocaustis arietum, & adipe pinguium, & sanguinẽ boum & agnorum & hircorum, non concupiui. Cum ueneritis ad uidendum faciem meam, quis quæsiuit hoc de manu uestra calcare altaria mea? Vides iam nunc quàm confidenter carnalem legis cultum, ob incredulitatem, Prophetæ reijciant? Quid putas de nostris cultibus si præsentes adessent, qui & uerbum non habent, & mera hominũ somnia sunt, dicturos? Alutarius. Quis igitur cultus illi tandem probabitur? Curio. Istuc quanquam antea paucis, & ueluti per transennam ostensum sit, tamen ex illis ipsis etiam Prophetis, quos carnales istos cultus reijcere commonstrauimus, ob oculos tibi ponetur. Psaltes uerum Dei cultum ostensurus, eum dicit. In tabernaculo ipsius habitaturum, qui & sine macula ingrediatur, & iustitiam operetur. Alutarius. Quid Propheta ibi uocat, sine macula ingredi? Curio. Sine macula ingreditur, quisquis

uerus Dei cultus ex Dauide

quisquis & spiritum contritum per uerbum nactus est, & solidam in Christum fidem habet. Ea enim, uel Petro in Actis teste, ita corda nostra purificat, ut uere numerari inter eos possumus, de quibus in citato Psalmorum libro aliàs dicitur, Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege Domini, uere enim timet deũ uere fidit Deo, uere denique Deum reueretur. Alutarius. Quid uocat iustitiam operari? Neq; enim puto sui dissimilem esse Prophetã, ut qui tua sententia fidei paulo ante adsignarit iusticiam, is nunc eandem operibus constare dicat. Tuo te hic gladio iugulabo. Curio. Dixi sine macula ingredi, idẽ esse quod credere, propterea quod fides cordis munditiẽ sola per Christum impetret. Munditiem inquam, quæ bonorum operum feracissima esse solet. Proinde iustitiam operatur, quisquis & per externam uitæ innocentiam, & beneficentiam erga proximum perpetuam cordis sui fidem in propatulo conspiciendam exerit. Neq; enim cordis illa fiducia Germana esse potest, si non in opus erumpat, adeoq; totam se dedat fratrum commodis

Sine macula ingredi quid

Iustitiã operari quid.

modis. Adhæc, cum ſcriptura non cordis tantum, uerumetiam operum quoq; iuſtitiam, ceu fidei teſtem, requirat, opus eſt, ut ad internam munditiem externa quoq;, hoc eſt, Charitatis opera adiungamus. Atq; hoc pacto, ſine macula ingredi, ad fidem. Iuſtitiã operari, ad externam charitatis commendationem referri oportebit. Quid quod Eſaias quoq; hæc ita habere teſtificatur. Lauamini, inquit, mundi eſtote, auferte malum ſtudiorum ueſtrorum à conſpectu oculorum meorum, ceſſate adfligere, diſcite benefacere, ſciſcitemini iuditium, corrigite confractum, iudicate pupillo, patrocinamini uiduæ. Principio hic, ut à ſordibus peccatorum noſtrorum mundemur, utq; ab omnibus inquinamentis lauemur, Propheta præcipit. Deinde ut neminem opprimamus, nemini noceamus, neminem ledamus, breuiter ut candide ac ſyncere erga omnes adfecti ſimus. Prior pars ad fidem, neq; enim lauari à priſtinis peccatorum ſordibus, niſi per fidem poſſumus. Altera ad charitatem pertinet. Vt ſit ſenſus.

Verus cultus Dei ex Eſaia.

Eum

Eum tandem esse uerum & Germanum Dei cultum, si quis Deum timeat, Deo fidat, uere Christū in patre, & patrem in Christo agnoscat, uere deū inuocet, uere Deo gratias agat, deniq; proximum perinde ac se ipsum diligat. Alutarius. Omnes igitur cæremonias, omnem illum externum cultum Luterani damnatis? Curio. Nihil minus, modo pro Pædagogia tantum habeantur, neq; cum Euangelio pugnent. Solum hoc sentio, timore, fide, charitate, nihil prius esse apud nos oportere. Post ubi illa nacti erimus, à uerbo ne latum quidē unguem discedentes, statui & de cæremonijs potest. Porro decentem in Ecclesijs, uestium, uasorum, ac cæterarum rerum usum non improbo, modo ea persuasio, quod Deum nobis hisce ritibus demereri possumus, absit. Si præterea modus quidam hic sit. Tam enim tragicus est apud istos tuos Canonicos ornatus, ut cum ad peragenda sacra prodeunt, in proscænium prodire uideantur. Et cum à fide, à charitate, à uitæ innocentia, à cognitione sacrarum literarum tàm sint procul, quàm à meridie abest septentrio, tamē istis

Hypocrisis oēs præ se contemnit.

istis suis cæremoniolis freti, ita fastidiunt, ita contemnunt, ita proscindunt aliter facientes, ut nihil supra. Alutarius. Hæreticos, Scismaticos, & Luteranos proscindere solent præterea neminem. Istuc autẽ cur te offendit tantopere, quum eodem fulmine & Episcopi omnes & Papa & Cæsar uos feriat? Si damnari, si proscindi, si male audire non uultis, redite cum patribus, cum Ecclesia in gratiam, & nemo uos posthac indubie exibilabit. Cirio. Atqui hic contemptus, hoc supercilium, hic morbus damnandi cæteros, quales cultus isti uestri sint, satis arguunt. Tales enim contemptores, obtrectatores, hypocrisis facit, ut quæ semper adiunctam arrogantiam quandam habeat, qua & sibi cristas sumit, & proximum præ se, perinde atque humi reptantem è sublimi despicit. Id ita esse uel Vnus ille in Euangelio Pharisæus, Canonicorum tuorum parens, conuincere poterit, qui non contentus fuit, inflatis buccis, sua Opera, suam probitatem, sua ieiunia iactasse,

iactasse, nisi peccatorem quoq; illum procul stă
tem, iniquissimo iuditio proscinderet. At uero
uera pie tas mo de iã cõ iunctam habet. longe aliter uera pietas facit. Ea ut & de ope-
ribus suis desperat & sola fide cultum dei me-
titur, ita semper charitatis opera, præsertim
modestiam adiunctam habet, qua se infra om-
nes homines deijcit, memor nullum opus deo
gratum esse, si non hoc ueluti condimento con
diatur iuxta illud, misericordiam uolo non sa-
crificium. I nunc & sacrificorum tuorum iacta
cæremonias. Alut. Quos tu per ludibriũ sacri-
ficos uocas, eos ego scio bonos uiros esse. Pro-
inde diuelli ab illis nolo neq; hic neq; in futu-
ro seculo, Curio. Quid ego audio? Bonus scili
cet uir, a tàm sancto bonorum uirorum colle-
gio diuelli non uis? Næ tu illos igitur hac rati
one beas, præsertim si in ea tecũ est etiam ux
or sententia. Sed extra iocum, sitiens hactenus
fui salutis tuæ, Quia uero & obstinate admo-
nenti semper restitisti, & ne ad huc quidem re
uocari in uiam uis, facile fero, ut perpetuo simi
les labra lactucas habeant Vale.

COL-

Inuocatione Sanctorum.

Sanderus. Glandorpius.

QVid agitur Glandorpi? Glandor. Sursum deorsum miscentur res mortalium. Sande. Quasi uero istuc ignorem. Tu quid agas rogo. Glandor. Quod solent qui in scholastico puluere, adeoq; in ϕροντισηρίοισ suis ætatem consumunt misere. Sanderus. Belle tamen uales. Glandor. Vtcumq;. Sande. Ecquid noui hic dum ego abfui actum est? Glandorpi. Quod quidem oblectare animum tuum possit plane nihil. Sande. Atqui nuper ego aliquid audiui, ualde ridiculũ. Glandor. Ita ferè fit, ut qui peregre proficiscuntur, uel fabulis uel iucũdis historijs suffarcinati redeant. Sed quid nam noui audisti? Sanderus. Ridebis ubi audies. Glandor. Narra igitur. Sande. Cænauit die abhinc octauo Hanoſræ mecum quidam è Gottinga ciuis, uir quantum ex uno colloquio conijcere licuit, cordatus, adeoq; cui fides habere-

tur non indignus. Nam triſtis in uultu inerat ſeueritas. Is quum iam accubuiſſemus dixit nobis, Phanum illud quod haud ita procul a Gottinga diuo Nicolao ſacrũ ſit, ante aliquot menſes noctu effractum, & quicquid eò auri argenti ue ante Luteraniſmum, comportaſſet populi ſuperſtitio, conuaſatum & ablatum inde eſſe. Glandor. Sacrilegium mihi narras. Sande. Ibi quum cerdo quiſpiam, ſacrilegos iſtos nepharia re propitio Mercurio peracta, in pedes cõiecisſe ſeſe, ac aufugiſſe audiret, Phuy inquit, iſtum ego diuum inuocarem? Creditum hacteinus eſt, multos inuocato Nicolai iſtius nomine & carceres perfregiſſe, & meritas pœnas effugiſſe. Quæ fabula ſi non Satanæ præſtigijs peracta eſt in noſtrã pernitiem, qui fit, ut qui è carcerum ſqualoribus ac futuris cruciatibus alios liberauit, pro ſe ipſo excubare non potuerit? Atq; huius uox, utpote illiterati cerdonis cum riſu excepta eſt. Glandor. Ego uero certũ ſcio, ueniſſe uulgati illius prouerbij in mentem tibi. Sæpe etiam eſt holitor ualde opportuna locutus, Sande. Non inficior. Sed aderat alter

Sacrilegium.

uoces ridiculæ.

alter quispiam, ignotus quidem ille, sed nugator festiuus admodum. Is hunc ueluti castigaturus. Euangelicum est, inquit, Christi discipulum esse non posse, qui nō relictis omnibus nudus eundem sequatur. Iam quum hactenus diuitiæ ligneo isti Nicolao in mora fuerint, quo minus nudum Christum nudus sequeretur, uerisimile est, non maximopere offensum esse, quod infœlici sarcina liberatus, libere iam nūc ac aliquanto expeditius Christum secuturus sit. Glandor. O hominem ridiculum. Sande. Hunc secutus tertius, male inquit partum, male dilabitur. Male igitur, inquam ego: suppellex illa parta est? Vide ut ne quid temere in diuos effutias, qui rursus, non inquit diuum Nicolaū, qui fortassis & uir bonus fuit, & iam in sinu Abrahæ cum electis conquiescit, parum de thesauris istis solicitus, sed Satanam præstigiatorē rideo, qui tam uarijs ludibrijs imposuit nobis. Neq; enim nescio, quātus ibi antehac populi cōcursus fuerit, quāq; fœde impostor ille spiritus à uera in Christū fiducia, ad falsissimā de

Satanas præstigiator ridetur.

Sanctorum ope persuasionem abduxerit homines, qui non pecuniæ solũ hic, sed animæ quoq; iacturam fecerunt. Quanquã sacrilegium non laudo, poterant enim in pios usus diuitiæ istæ conuerti, sed fraudem ac impostura qua parte sunt abominor. Glandorpius. Quid tu? tacitus hæc audiebas? Sanderus. Pauca interfatus fui. Quum enim neutiquã edentuli uiderentur qui orsi eam fabulam fuerant, malebam audiendo uoluptatem ex eo colloquio capere, quã in re, lippis nunc ac tonsoribus nota, iuxta prouerbium, disertus uideri. Glandor. Sapienter feciſti. Sed tamen non omnino falsa isti dixerunt. Dicam enim quod sentio, Carnalis iste sanctorũ cultus, res mihi uidetur ualde noxia. Sande. Non nego. Nam si quis caussam hanc solicitius excuciat, is uere superstitionem hanc è Prophanis fabulis petitam esse & originem habere comperiet. An non enim quemadmodũ olim singulæ regiones singulos diuos habebãt, ita apud nos singulæ ciuitates, singulæ arces, singuli pagi, suos sibi patronos finxerunt? Christo

Sanctorum inuocationes noxiæ.

flo interim uel cõtempto uel neglecto, uel apud nos quã impudenter (reuerenter dicturus erã) de diuo Autore in concionibus sacrifices nostri nugati sunt? cui etiam urbis nostræ tutelam commiserunt, Christum fortassis superfluæ curæ non oneraturi. Taceo quod singulis diuis singulas etiam ædes patres nostri & extruxerũt & cõsecrarunt. Glandor. Aedes istæ utcunq; ferri poterant, propterea quod in ijsdem nunc ad audiendũ uerbũ conuenitur, si non falsa doctrina huc accessisset. Nam sumptus ad eas res suppeditantibus, remissio peccatorum, iusticia, & uita æterna promittebantur, idq; cum magna meritorũ Christi iniuria. Sande. Quasi uero peculiare aliquid habeant sumptuosæ istæ exedificationes, quod non maiori munificentia Ethnici etiam ipsi antehac præstiterint. An nõ templa olim uouerunt & Romani imperatores, si uel miles à fuga reuocaretur, uel hostis terga uerteret, uel ad internetionẽ hostiũ acies delerentur? Glandor. Hoc uero aliquanto intolerabilius est, quod singulis diuis, singula munia attribuerunt. Rochus quidam pesti me-

Anaemia

deri. Barbara dētium cruciatum mitigare, Georgius. In acie ſeruare, Eraſmus. Diuitias largiri, & iſte noſter Nicolaus e carceribus liberare creditus eſt. Taceo magnum illum Poliphemum, quem riſui præfecerunt, uere ridiculis uerſibus teſtati, commentum huius fabulæ plus quàm ridiculum eſſe. Quid quod dei param uirginem Mariam maiori etiam honore dignati ſumus, atq; Chriſtum ipſum? Sanderus. Vere intollerabilia ſunt hæc, propterea quod haud ita procul ab Ethniciſmo abſint. Nam gentes quoq;, ſingula munia in ſingulos diuos partiebantur, Ioui fulmen, Iunoni obſtetricationem, Veneri amores, Marti bellum, Neptuno Maria, Aeſculapio medicinam, Saturno ac Cereri agriculturam, Vulcano fabricam (& quis omnia enumeret?) attribuētes. Sed aliud quiddam ſuper eſt, quo nihil unquā perniciosius hac in re excogitari potuit quòd nimirum ad iſtos diuos mediationis honorem, mediationis autem? Imò & adorationem tranſtulerunt. Hic enim error ſemel receptus, Chriſti ſacerdotium officiumq; in uniuerſum labefacit.

Chriſto fore ſanctæ uirtutes ſunt tibi tantæ.

cit, Glandorpius. Fateor magnifica illa de sanctis elogia, cum magna Christi ignominia coniuncta esse, Quid enim indecentius, ac seruum præferri domino? creaturam anteponi creatori? discipulum præceptore potiorem haberi? Sed hanc cæcitatem partim sacrarum Literarum neglectas, partim peccata nostra in orbem intexerunt, Nam posteaquã contemni cœperunt sacra studia, fieri non potuit, quin multi errores, ijq; pernitiosissimi sererentur in Ecclesia. Gracia autem deo, qui sublata tanti erroris caligine, ueritatis luce rursus nobis illuxit. Neq; enim nunc qui Euangelicas literas uel legunt uel audiunt, diuos istos pro mediatoribus habent, sed Christum ipsum, ut ad quẽ proprie mediationis honos pertineat, præterea neminẽ. Qua de re ita Pau. inquit. Vnus est mediator dei & hominũ, homo Christus Iesus q̃ dedit semetipsum redẽptionẽ pro omnib⁹, San de. Recte Paul. unũ inter nos ac deũ mediatorẽ fatur, Iesum Christũ uidelicet. Nam quũ sublata lege ad unum hunc redierit sacerdotij dignitas q̃uũ est ut officiũ quoq; ipsius & agnoscam⁹

unus mediator inter deũ & homines.

& tueamur, officium inquam interpellandi, adeoq; deum nobis proprio sanguine placandi. Qui in ueteri lege erant sacerdotes, ad offerendum munera & hostias cum pro se tum pro populo constituebantur, quorum etiam sacerdotium quòd perpetuũ nonꝫ fuit, mors prohibebat. Christus uero ut pro se nullis hostijs habebat opus, ita pro populo, nõ legales illas & umbraticas hostias, sed proprium sanguinem deo patri obtulit, non temporarius, sed perpetuus iuxta ordinẽ Melchisedech sacerdos factus. Cur igitur mediatorem alium agnoscerem us? Glandor. Hæc omnia nescio an usquam artificiosius tractata legerim, atq; indicata Hebræis epistola, An non enim pulcherrima collatione Christi sacerdotium autor eius Epistolæ confert cũ Leuitico? Quare temperare mihi non possum quin, ad confirmationem eorum quæ iam dicta abs te sunt, plæraq; huc citem. Sic enim septimo capite istic legitur. Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quod maneat in æternũ, sempiternum habet sacerdotiũ, unde

Collatio sacerdotij Christi cum Leuitico.

de & saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad deum, semper uiuens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie (quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis offerre) dein pro populo, Hoc enim fecit semel se offerendo. Quid obsecro clarius de Christi cum officio tum sacerdotio dici poterat? Principio legis sacerdotium temporarium Christi uero perpetuum facit. Deinde ita demũ per Christum seruari, nos dicit, si per ipsum ad deum accedamus. Postremo pontificem nobis describit, sanctum & innocentem, quiq; non pro se, sed pro nobis deo patri obtulerit, non hostiam quampiam legalem, sed semetipsum. Profecto qui ijs uel auditis uel lectis ab inuocatione sanctorum non deterrentur, eos ego partem in regno cœlorũ uix habituros credo, Sande. Ego illud quoq; pertinere huc arbitror quòd in Euangelio Ioannis. Viam semet Christus uocat, per quam ad patrem ueniatur. Item

illud, quod toties Paulus dicit, per solũ Christum ad patrem nobis patere aditum. Glandorpius. Sic est, cõq; ante omnia opus est, ut Christi hic constet gloria. Porro ubi ea constiterit, iam tum ut diui quoq; sua laude non fraudentur, uidendum est. Et certe quod ad me attinet. Scio solum Christum largiri remissionem peccatorum, donare iusticiam, & impertiri æternam fœlicitatem, eaq; de caussa, solum hunc in omnibus necessitatibus inuocandum esse. Ita enim fiet, ut quum patroni, mediatoris reconciliatoris loco à patre nobis donatus sit, tanto diligentius apud eundem patrem nobis patrocinetur. Hæc inquam scio. Et tamen inconditos quorundam clamores odi, qui quum diuos munere suo in hac uita perfunctos esse, iamq; in sinu Abrahæ conquiescere audiunt, statim induunt contemptum, ita de ijsdem loquentes, ut si scurræ fuissent, irreuerentius loqui de ijs nõ possent. Sanderus. Plane hic mecum sentis. Quanquam enim neq; adorandi, neq; inuocandi, neq; pro mediatoribus habendi sint, tamen & honorifica illorum mentio

Christi gloria defendẽda.

semper

semper fieri, & Deus honorificentissime laudari in illis debet. Quod ipsum bifariam fieri ex concionatoris cuiusdam ore audiui nuper. Glandorpius. Ea de re quid disturus sis expecto. Sande. Principio diuinæ bonitatis & clementiæ cognoscenda & obseruanda in illis exempla sunt, inquit, propterea quod omnes ante condonationem peccatorum, & iustitiæ imputationem gratia egerint, ueluti Paulus dixit, concluſisse Deum omnia sub peccatum, ut omnium misereretur. Hoc enim probe obseruasse, iustificationis modum didicisse est. Imò hic admonemur inquit, quemadmodum illi gratuita domini bonitate seruati sint, inq; æternam beatitudinem per Christum gratuito recepti, ita nos quoq;, si & peccatum agnoscamus, & Christo per omnia fidamus seruandos esse. Exempli gratia. Cum Petri lapsum grauissimum, adeòque gratuitam restitutionem audio, an non quandam hic concipio fiduciam? quòd me quoq; lapsum & in uiam redeuntem, perinde atq; Petrum seruaturus sit? Cum Pauli in Christianos odium, & Honor. sanctis exhibendus

& rursus conuersionem illius considero, quid aliud doceor, atq; me quoq; si admonitus resipiscam, eiusdem gratiæ participem futurum? Præterea nullam noxam tàm esse grandem, quæ si agnita fuerit, condonari non debeat? Qua de re ita Paulus ait. Certus sermo, & dignus quem modis omnibus complectamur, quod Christus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret, quorum primus sum ego. Verum ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar his, qui crediturí essent in ipso in uitam æternam. Ex ijs Pauli uerbis liquet, inquit, diuinæ clementiæ & bonitatis exempla, ad hunc modum obseruasse, gratissimum sanctis cultũ esse, ut qui bonam huius laudis partem, non in se, sed in Deum, salutis suæ autorem, redundare uelint. Glandorpius. Fortasis hoc sibi & Psaltes noluit, cum diceret. Laudate Dominum in sanctis eius. Item Paulus cum gloriaretur, Deum in se glorificatum esse. Sanderus. Est inquit & alius

Exẽpla diuinæ clementiæ in sanctis obseruãda.

sanctorum

ſanctorum cultus, quæ dignus & ſcitu & obſeruatu, quum uidelicet fidem eorum charitatem, ſpem, uitã, mores, conuerſationẽ, & ponimus ab oculos ſemper & imitamur. Quamquã enim & in carne uixerint, & ea interdum per carnis imbecillitatem deſignarint, quæ fieri nõ oportuit, tamen negari non poteſt, quin multa præclare egerint, quæ tuto quis imitari queat. Leguntur multis bonis operibus, hoc eſt, charitatis exercitatione fœcundi fuiſſe, quod cum audimus, meminerimus ijs exemplis nos quoq; ad charitatem prouocari. Leguntur indeſinenter oraſſe, tempeſtiuis Vigilijs & Ieiunijs carnem domaſſe, aduerſa paciẽter tuliſſe, & nihil unquã quod ad dei gloriam & fratrum cõmodum pertinuerit, neglexiſſe. Quæ omnia cum uel legimus, uel recitari audimus, ad nos quoq; pertinere perſuaſi ſimus. Atq; horum operum diligens obſeruantia imitatioq;, tàm eſt gratus ſanctis cultus, ut Paulus etiam ea de re dixerit, Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Alios adoratores, alios cultus, alias

ſanctorũ opera bona imitanda.

alias inuocationes, nec norunt nec exigunt in sui honorem sancti, Glandorpius. Venit mihi hic in mentē egregia Chrysostomi ea de re sententia, & quam probe notam esse, omnibus ijs, qui pluris sanctos quam Christum faciunt, conueniebat. Habet autem sic. Qui sanctorum merita, religiosa charitate miratur quicunq; iustorum glorias frequenti laude prosequitur, eorum mores sanctos, atq; iusticiam imitetur, Quoniam quem delectat alicuius sancti meritum, delectare debet par circa cultum dei obsequium, quare aut imitari debet si laudat, aut laudare nō debet, si imitari detrectat; ut qui sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse uitæ sanctitate reddatur. Quid potuit de uero sanctorum cultu dici pium magis? adq; sententiam concionatoris illius confirmandam accommodatius? Nullam adorationis, nullam inuocationis, nullam intercessionis mentionem facit, ad purioris uitæ studium, quale in sanctis fuerit, inuitasse contentus. Et quid inuocationem sanctorum indocti quidam urgent tantopere, quum Ioannes Messiæ honorem re-

Chrisost omi de sanctorū inuocati one sentē tia.

cusa-

cusarit? Petrus adorari a Cornelio non sustinuerit? Barnabas ac Paulus diuinos honores, nullo pacto exhiberi sibi Listris voluerit? Aut in morte aliter adfectos hac in re sanctos fuisse verisimile est, ac in vita fuerint? Sanderus. Imó Gregorius ipse a sana doctrina al quanto remotior, vitam tamen sanctiorem vitam lectionem vocat, sentiens opinor, quicquid boni egerint sancti, imitandum nobis proponi, boni inquã, neq; enim quod a verbo dei diuersum est bonum dici potest, Quid multis? Sanctos ita demum recte honore adficiemus, si quemadmodum ipsi & placere Christo per fidem studuerunt, & per charitatem fratribus, ita nos quoq; & fidamus Christo, & per charitatem omnibus probari conemur, Glandorpius. Istuc ut impigre præstemus, faxit deus optimus, Maximus. Sed quid nunc inceptabimus? Sanderus. Pransuri apud Gorolitium nostrũ sumus, D. Georgius Curio. Bertramus Damus, Hinricus Vuinckel, & alij plerique. Et conuiuio nos nõ vocati etiam ingeremus, Glandor. Placet.

Gregorius.

COL-

COLLOQVIVM DE Eccleſia

Tacius. Eberhardus.

PRoh hominum fidem, Itane indoctiſſimis ardelionibus animarum cura concredenda eſt? Concionatem paucis ante diebus monachum quendam audiui, adeo bardum ac ſtupidum, ut non concionatorem ſed olitorem audire uiſus ſim, Concionabatur autem de Eccleſia, cui argumento ita ſatisfecit, ut poſt concionem, qua de re diſſeruiſſet, interrogatus prorſus obmutuerit, A Luteranis ordiebatur, Bona deinde concionis pars accuſandis Luteranis ab ſumpta eſt. Poſtremo tandem conuitiando deſijt, Vnum hoc per imprudentiam beſtiæ excidit, A ſpiritu ſancto regi eccleſiam, quam huius rei gratia, perinde atq; Chriſtum ipſum audiri oporteat, Sed eccum doctorem Eberhardum, Temperare profecto mihi non poſſum, quin ea de re cum ipſo colloquar, Salue uir doctiſſime. Eber. Saluus & tu ſis adoleſcens humaniſſime. Sed quid tàm profunda ducis ſuſpiria?

Indocti monachi deſcriptio.

ria? Ecquid animum tuum habet male? Tacius. Diuinas. Eberhar. Id quale sit narra. Nam aut uerbis aut consilio aut re ipsa te iuuero. Taci. Equidem ea res quæ animum meum habet male, nec mihi, nec tibi uehementer incommodat. Et tamen adeo mihi dolet, ut ijs ad quos incommodum hoc redit, corporis etiam iactura, si queam, opitulari cupiam. Eberhar. Narra igitur. Tacius. Istum nosti in Richenbergo cuculionem, cui eius sodalicij pater concionandi pronunciam demandauit? Eberhar. Asinum ego istum intus & in cute noui. Et miror hunc bouem mitti ad ceroma, iuxta Prouerbium. Taci. Eum nuper audiui de Ecclesia concionantem. Camelum saltantem uidere uisus sum. Eberhardus. De Ecclesia? Mirum ni ea de re tam disserui recte, quàm nuper ea de re pie scripsit Vuicelius quidam. Nam aut ego fallor, aut fungus iste Ecclesiæ uocabulum non intelligit. Taci. Bonam concionis partem damnandis Lutheranis absumpsit. Quos quum a sinistris salibus diu perstrinxisset, tandem paucis uerbis addidit, Ecclesiæ ducem ac ductorem spiritum sanctũ

pium pij adolescẽtis uotũ.

esse. Eoq; audiri eandem non aliter atq; Christum oportere. Quod qui non faciant, Satanæ mancipia ac hæreticos esse, quales, inquit, sunt Goslarienses Luterani. Eberhar. Obseruastine Ecclesiam hic quid uocaret? Tacius. Blaterabat quid nescio de Romano pontifice, Cardinalibus & Episcopis. Et ad istos, ni fallor, Ecclesiam cui subiectos nos esse oporteat, transtulit. Eberhar. Quanto sacius erat nomenclaturam eius uocabuli, ad saxeas illas ac lapideas ædes detorquere. Neq; enim uideo, quid inter saxa ac siculneos istos Episcopos intersit. Tacent saxa, tacent Episcopi. Et quemadmodum audiendi sensu saxa carent, ita illi quoq; surdi sunt, si quid recte moneas, si officij illos commonefacias, si à carnalibus illecebris ac uoluptatibus ad docendi prouinciam eos reuoces. Tacius. Mihi profecto, quod principio dixi, dolet, Miseram plebeculam istis lupis deuorandã obiici. Quod si usquam locum habet ea parœmia, Lupo ouem committere, hic certe locum habere eandem, nemo est, qui negare possit. Eberhar. Candidi animi iudicium est, quod periculo

Goslarienses quisquis calumniatur Elleboro indiget. Tanta eius urbis pietas ac religio.

Episcporũ cũ saxis collatio.

eor-

eorum, qui ardelioni isti concrediti sunt, commoueris tantopere. Quòd si magistratus quoq; qui in istos uentres imperium habent, hisce rebus sic commouerentur, dubium non est, quin breui abominatiões illiusmodi finem habituræ essent. Tacius. Magistratus hoc tempore in ijs tantum sapiunt, quæ ad expilandam miseram plebem pertinent, deum nec timent, nec magni faciunt, nec reuerentur. Quotus quisq; enim inter illos, si per paucos excipias, uerbi cursum promouet? Imò illum ipsum cursum remorantur etiam, idq; Scythica plane crudelitate, tantum abest ut promouere in animum inducant. Sed uana hæc est querimonia. Audiant sua sacrorum pocius ab eo, qui omnium frugi principũ insignia in uno annulo sculpi posse dictitabat. Libet iam aliud ex sciscitari, nimirũ quid tu uoces Ecclesiam. Eber. ἐκκλησία Græca uox est, adeoq; uel cœtum uel concionẽ uel conuocationem significat. Id quod uidere est ex illo Dauidis, Odiui Ecclesiã malignanciũ & cũ impijs non sedebo. Nam hic Ecclesiã uel pro cœtu uel cõcilio accipias necessum est, quemadmodũ in

Magistratus oscitantia ac tyrannis.

Ecclesiæ nomenclatura.

primo quoq; Psalmo, Beatus pronunciatur, qui in cõcilio, hoc est, impiorũ Ecclesia non steterit. Taci. In malam igitur & bonã partem accipiũ? Eberhar. Maxime. Nam in ijs locis quos citauimus iam, in peiorem partem acipitur. Rursus alias in bonam capitur, ueluti in uicesimo primo Psalmo. Ad te laus mea in Ecclesia magna. Tacius. Ne graueris igitur, eius Ecclesiæ, quæ in bonam partem capitur, finitionem mihi impertiri. Eberhard. Fiet. Ecclesia Christi nihil aliud est, Atq; spiritualis quædam fidelium cõgregatio, nõ in peculiarẽ quendam locum, sed in eandem fidem, spem, & charitatem, ubi ubi terrarum fuerit. Obseruabis hic, quod ad spirituales & fideles, cõgregatio hæc proprie pertineat. Loquimur enim de Germana & uera Ecclesia, quæ ut Christi corpus est, adeoq; unum caput, Christum uidelicet, tantum agnoscit. Ita in nomine Christi, hoc est, fide congregetur oportet, iuxta illud: Vnus Dominus, una fides, unum baptisma. Huc quoq; pertinet quod Christus dicit. Si duo ex uobis cõsenserint super terram, de omni re quamcunq; pecierint

Vere Ecclesiæ finitio.

fiet

fiet illis à patre meo qui in cælis est, ubi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tacius. Qui uero scirr possum, quæ nam sit uera illa ac spiritualis Ecclesia, quum Hypocritas quoq; admixtos indubie habeat? Neq; enim parui negocij fuerit opinor, fucatos illos sanctos, qui in extremo die dicturi sunt, Domine, nunquid in nomine tuo & Prophetauimus & demonia eiecimus, & multas uirtutes præstitimus? ab ijs qui uere pij sunt, hic secernere. Eberhar. Dixi Ecclesiam rem quandã spiritualem esse, hoc est, quæ iuxta spiritum, nec digitis ostendi, nec oculis uideri, nec auribus percipi possit. Quod quum ita sit, iam qui proprie ad spiritualem hunc cœtum pertineant, nemo rectius ac dies Domini dijudicabit. Cognosci istuc, quo ad in terra sumus non potest. Imò quum per totum orbem diffusa sit, nihil difficilius futurũ esset. Quemadmodum Cyprianus quoq; dicit. Ecclesia domini luce perfusa, per totum orbem ramos suos porrigit. Vnum tamen est, quod ubiq; diffundi tur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos

Difficile a pijs hypocritæ discernũ tur.

Christus posthac discernet agnos ab hœdis.

Cypria.

per uniuersum orbem copia ubertatis extendit Et tamẽ habet externas quasdam notas, ut ubi sit dinosci queat. Taci. Quas nam? Eber. Synceram Euangelij doctrinã, & sacramentorum administrationẽ. Taci. Vbi enim uerbum igitur prædicat recte & sacramenta tractantur pie ibi Ecclesia est? Eber. Nihil certius. Et tamen propter admixtos hypocritas, digitis commonstrari, qui uere ad hanc Ecclesiã pertineant, nõ possunt. Tenes opinor Apostolorũ symbolum. Tacius. Non secus atq; hos meos digitos. Eber. In eo igitur quibus uerbis describatur, non dubium quin probe obseruaris. Credo, inquis, Sanctam Ecclesiã catholicam, sanctorũ communionem. Quod creditur, oculis perspici non potest, uel Epistola ad Hæbre. teste. In ea enim fides, earum rerum quæ sperantur, & eorum quæ non uidentur, argumentum uocatur, iam quum credere, quod Ecclesia sit, oporteat, qui obsecro commonstrari digitis posset? Tacius. Satis igitur est, quantum audio, ut ubicunq; & uerbum prædicabitur & Sacramenta recte administrabuntur, ibi Ecclesiam esse credam, ubi

Notæ e quibus Ecclesia dinosci tur.

Fides.

ubi

ubi terrarum iſtuc tandem ſit. Eberhardus. Satis neq; enim hic facile à uere pijs hypocritæ diſcernuntur, propterea quod externam illam externarum cæremoniarum ac rituum ſocietatem, communem nobiſcum habent. Et non abs re Chriſtus dixit. Sinite utraq; creſcere uſq; ad meſſem, ut ne cum Zizanijs ſimul & triticum euellatis. Præuidit clementiſſimus dominus futurum, ut bonis hypocritæ ſemper admixti eſſent, hypocritæ inquam. Neq; enim de aperte impijs nobis ſermo eſt. Quocirca ut omnem hic iudicãdi ac damnandi temeritatem præſcinderet, creſcere utrumq; hominum genus ad iudicij meſſem iuſſit, in eo enim oſtenſurum ſe eſſe, qui hœdi, qui agni, qui piſces boni, qui mali fuerint. Tacius. Iam uera illa Eccleſia, per uniuerſum orbem ſparſa, cui potiſſimum rei innititur? Eberhardus. Solum uerbo Dei. Quemadmodum enim per uerbum conflata, concepta, ac formata eſt, ita per ſolum uerbum roboratur, fouetur, ſuſtentatur. Imò quicquid habet donorum ſpiritualium, id totũ uerbo acceptum refert. Quicquid præterea

Nota hæc de Hypocritis non de aperte impijs dici.

A uerbo Chriſti pendet Eccleſia.

poteſtatis habet, Id quoq; totum uerbo attribuit, uerbo inquam, quod noſtri cauſſa carnem aſſumpſit, Habet autem poteſtatem neutiquam contemnendam, ſoluendi uidelicet & ligandi, Tacius, Atqui eam poteſtatem ad Romanum Pontificem ablegant pleriq;, ut pote Petri uicarium, Eber. Illis caue adſentiaris. Data enim eccleſiæ eſt. Eccleſiæ inquam, cuius imaginem Petrus ac alij apoſtoli tum geſſerũt, cum ad Petrum Chriſtus diceret. Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo eccleſiam meam. Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Et dabo tibi claues regni cœlorum, Quicquid alligaueris in terra, erit alligatum & in celis, & quicquid ſolueris in terra, erit ſolutum & in celo. Omnium nomine Petrus Chriſto reſponderat, etiam Hieronymo teſte, Proinde omnium nomine rurſus audit quòd ſuper petrã hoc eſt, uerbum quod fide adprehenditur ædificanda ſit eccleſia, per uerbum enim ligandi ac ſoluendi poteſtatem habitura eſt. Id itã eſſe aliquanto clarius Matthei undeuigeſimo, & Ioannis ultimo legitur, ubi flans in eos dicit.

Eccleſia ſuper fidei pætrã ædificatur.

Quorum-

Quorumcumq; remiseritis peccata remittuntur eis, & quorumcumq; retinueritis, retenta sunt. Taci. Si potestas ergo hæc ad ecclesiam proprie pertinet qui fit igitur. Vt ministri solum illa ipsa utantur? Eber. Quicquid huius faciunt, iubente & permittente ecclesia faciunt. Ea enim tametsi norit, omnibus pijs ut doceant ac sacramenta administrent permissum esse, tamen ut ordine ac honeste gerantur omnia, neq; docentium multitudo confusionem pariat, præcipuos quosq;, quibus & dona maiora cõtigerunt & uitæ innocentia autoritatem conciliat, deligit, quibus clauium usum permittat. Et quotquot ad id muneris sic uocantur, ij non iam pro dominis, sed ministris haberi consueuerunt, id quod Paulus probe considerans. Sic nos inquit, existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum dei. Et Petrus. Non tanquã dominãtes in clerũ sed forma facti gregis, Taci. Puto non carere emphasi, quòd Paulus populi doctores, ministros uocat. Et obseruatum diligenter hoc nostro seculo uidemus, quod idem non abs re in frontispicio

Claues ad Ecclesiã proprie pertinent.

omnium Epistolarum, seruum se appellat Iesu Christi, uocatũ ad munus apostolicum. Porro si seruus est, si minister est, eius quæ Christi corpus est ecclesiæ. Iam nescio, an quòd cornicantur quidam, Nouas in ecclesia leges condẽdi potestatem habere eos, uerum sit, Eberhar. Vehementer errant, qui Ecclesiæ potestatem tàm patere làte arbitrãtur, Imo ineptũ hoc dogma nõ sine magna Christianæ doctrinæ iniuria hactenus uerum esse creditũ est. An nõ enim deus pater, de doctrina tantum filij sui loqui existimandus est, ubi inquit, Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacitum est, Hunc audite? Christum audire, in iustificationis negocio, iubemur, præterea neminem, Non autem hæc de ritibus aut cæremonijs aut adiaphoris intelligi uolumus, propterea quòd huiusmodi res pro ratione cum temporum tum personarũ, tum locorum uariare possunt, De ijs potius loquimur, in quibus iustificationis ac æterne beatitudinis cardo uertitur, ut quæ a Christo tàm sint plene tradita, ut humanis constitutionibus ac additamentis nihil hic opus habeamus, Tacius.

Nouas leges cõdẽdi potestatẽ Ecclesia non habet præsertim in iustificationis negotio.

eius. Quid si ad conseruationem traditionum suarum mitrati isti, ferro, flamma, ui ac tyrannide nos cogant? Eberhardus. Citius uita amittenda, ac diuersum aliquid a Christi doctrina recipiendum est, uere enim huc pertinet, quod ea de re Christus inquit. Qui uoluerit animam suam seruare in hoc mundo, perdet eam. Qui uero animam suam in hoc mundo perdiderit, in uitam æternam seruaturus est eam. Et negari non potest, quin falsa doctrina & corpus & animam occidat, quum Christi hostium gladius, in corpus tantum deseuiat. Proinde Christus quoq;, Ita demum audiendos docet, istos legum humanarum conditores, si in cathedra Mosi sedeant, hoc est, si Mosi exemplo, non sua somnia, sed ea tantum præscribant populo, quæ & deum autorem habeant, & uerbo ipsius per omnia cõsentanea sint, Tacius. Quid si obijciant, errare eos, qui harum constitutionum autores sunt, non posse? Propterea quod ad Ecclesiam, cuius ductor spiritus sit, pertineãt? Eberhardus. Ecclesiam suam Christus errare non patitur. Quatenus audiẽdi Episcopi.

Verũ

Verum est, prædixit enim inferorum portas aduersus eam non prævalituras, Adhæc. Se ad consumationem seculi usq; cum ea mansurum, At interim membrum Ecclesiæ aliquod errare potest, id quod paroxysmus ille inter Petrum ac Paulum satis arguit. Et ecclesia ita demum non errabit, si uerbo dei per omnia obediat, si a spiritus ductu ne latum quidem ungem discedat, si Euangelicam doctrinam nullis glossematis uiciet. Breuiter. si a solo Christo, ac uerbo eius pendeat. Quod quum peruersi isti legislatores facere neglexerint, Pontificem Romanū scripturæ etiam præferentes, Iam prouere ac catholicæ ecclesiæ membris habendi non sunt, Multo minus in ijs quæ contra manifestā scripturæ ueritatem sanxerunt, audiendi, Tacius. Quantum audio, frustra & cum periculo, ijs qui præter scripturam statuūt aliquid obeditur Eber. Vere cum periculo, id quod Esaias quoq; intellexisse iudicandus est, quum æternum interitum id genus legislatoribus interminaretur, dicens. Ve qui condunt leges iniquas, Proinde qui tuto, ne impingat, ambulare uolet, is

Quomodo intelligendū sit Ecclesia non errat.

Euan

Euangelicas tantum Literas, in hac mortali uita, amplectatur, sequatur, & mercurialium statuarum loco habeat. Ita & Christo inseretur, & ecclesiæ membrum fiet, & perpetuo Christi spiritum ducem ac ductorem habiturus est. Taci. Equidem dabo operam, ut consilium hoc tuum secutus, eius quam mihi depinxisti Ecclesiæ membrum perpetuo maneam, Eber. Duc, Istuc fac, & æternum uiues.

Esaias cõdítores legũ humanarũ exibilat.

COLLOQVIVM DE ueri pastoris officio.

Clericus. Volumetius.

VIDEO Michaelem Volumecium, quicũ olim Erphurdiæ sub Eobani hessi signis militaui huc aduentantem? Profecto is est, Saluum te Michael aduenisse gaudeo, ut uales? Quo præterea in statu sunt res tuæ? Volume. De ualetudine nihil est, gratia deo, quod conquerar, Belle enim, quod uides, Valeo. Quod ad statum adtinet, In puluere scholastico adhuc

Labores scholastici.

huc uersor, cui prouinciæ ita adfixus sum, ut plane nesciam, possim ne aliquando hinc emergere an secus, Cleri. Ea mihi quærimonia plane tecum cõmunis est, Adeò enim ex odiosis istis laborib⁹ extricare me nõ possum, ut honestissimas etiam conditiones antehac oblatas mihi, repudiare coactus sim, Volu. Atqui Vulgo quiduis citius persuaseris, quàm condutionem nostram cum maximis molestijs cõiunctam esse. Putant puerorum institutionem, rem & facilem esse & mediocriter etiam literatum facere istuc posse, Cle. Credo, si recte enim ea de re iudicare didicissent, & maiori in Præcio pædagogos haberent, & non tam parce ijsdem numerarent, Sed ita est.

vulgi inepta iudicia.

Nosse uolunt omnes, mercedem soluere nemo. Mercedem appellas, Quid enim scio? culpa docentis Scilicet arguitur.

Volumetius. Huc adde. Pœnituit multos uanæ sterilisq; Cathedræ, Clericus. Quanto rectius hac de re Lycurgus Rhetor iudicauit, cui quum obijceretur, quod rhetoribus eloquẽtiæ studio daret mercedem. Si quis, inquit, filios

filios meos profiteatur se mihi redditurum meliores, non mille drachmas, sed omnium facultatum dimidium effunderem. Volu. Huiusmodi Lycurgos perpaucos reperire est hoc nostro seculo. Quare forti animo eam Vulgi ingratitudinem feramus oportet, si forte mitiora fata aliquando studia habitura sit, Fuerunt antehàc, qui me quoq; ad concionandi prouintiam rapere conarentur, sed quum uiderem conditionē istic non fortunam mutari, Spartam quam nactus eram ornare perrexi, Cleri. Despicabile mihi hominum genus narras, Quid? Non solum despicabiles sunt, qui docendi in Ecclesia munus suscipiant, uerumetiam, quod me semper hinc deterruit, prouinciam cum multis periculis coniunctam administrant, In scholis nostris si quid peccatur, uel uerbis uel uerberibus, citra Christianismi damnum, corrigi potest. At in concionandi officio, non tàm facile, si quid a scopo aberres, emendatur, propterea quòd impiæ doctrinæ uirus non tàm doctori, quàm uniuersæ ecclesiæ noceat. Quid quòd sanguinem eorum qui pereunt, à concionato-

Apo[illegible] gina Lycurgi.

Cōcionādi prouincia.

natoribus exacturum se minitatur Deus, ni probe ea in re officio functi sint? Taceo ingentia illa dona, quæ in doctore merito requiruntur hoc tempore, summa uitæ innocentia, peritia linguarum, & cum multo rerum usu coniuncta eruditio. Quæ si etiam adsint, tamẽ ni legitima huc accedat uocatio, bonus doctor dici non potes. Volume. Merito sane in doctoribus, ac pastoribus iusta uocatio requiritur. Videmus enim quãtas passim turbas dederint, quantasq; tragœdias mouerint, qui non uocati in Ecclesias hactenus ingesserũt sese. Et quis nescit illegitimę uocationis fructum, impiam doctrinam esse? Percelluntur id genus uagi spiritus apud Hieremiam capite Vigesimo tertio ijs uerbis. Currebant & ego non mittebam eos, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. In quo capite fructum quoq; eius uocationis, quæ illegitima est, Propheta describit admodum Graphice. Nolite, inquit, audire uerba prophetarum, qui prophetant uobis, & decipiunt uos, uisionem cordis sui loquuntur, non de ore domini. Ad hæc Magni momenti rem esse

Qualem oporteat esse concionatorem.

Vocatio concionatoris.

Fructus illegitimæ uocationis

esse, si rite uocentur pastores, uel hinc liquet, quod ad commendationem ministerij sui, Paulus ubiq; gloriatur, diuinitus se, adeòq; per reuelationem Iesu Christi, ad Apostolicum munus uocatum esse. Clericus. Ita est. Sed iam à rite uocatis etiam, quàm exiguntur labores ardui? Nisi forte ioco dicta existimanda sunt, quæ de sana doctrina ad Petrum Ioannis ultimo dicta leguntur. Ter Petrus perconctanti domino, an se diligeret, responderat. Tu scis quia amo te. Quodipsum quanquam dominus certo sciebat ex animo dici, tamen ut magnitudinem sui erga oues amoris eidem commendaret, ter & ipse subiecit. Pasce agnos meos, hoc ipso declarans, fido concionatore nihil sibi gratius esse. Contra, quàm seuere in extremo illo die in eos animaduersurus sit, qui ouium suarũ rationem diligentißime non habeant. Perinde ac si diceret. Scio post meum à uobis discessum multos exorituros, qui & uobis facessent negocium & gregi meo, Euangelicæ doctrinæ pabulum, haud ita fideliter suppeditabunt. Aduersus quorum malitiam ita uos armatos & in-

Diligentia summa in docendo requiritur.

ſtructos eſſe oportebit, ut non tàm paſcendis ouibus meis, quàm arcendis lupis, operam mihi ueſtram probetis. Tanto enim ardentius me amare iudicabimini, quanto ſyncerius in hoc ueſtro officio fueritis uerſati. Spectabunt illi ſuum lucrum, & quanto plus Lucelli ex peruerſa ſua doctrina accreſcere uiderint, tanto pertinacius doctrinæ ueſtræ obſtabunt. Vos contra huc ſpectabitis, quòd oues iſtæ, quas paſcendas ſuſcepiſtis, meæ ſint, adeoq; ſanguine meo redemptæ. Ob eamq; cauſſam maius animo meo uulnus infligi non poſſe, quàm ſi ueſtra uel culpa uel negligentia, unam ex ijs perire contingat. Hæc Chriſtum, quum Petro ouium ſuarum curam cõmitteret, & ſenſiſſe & ſerio uoluiſſe, ~~non~~ tantum ueriſimile eſt.

Chriſtus oues ſuas pro prioſanguine redemit.

Volumecius. Hoc tibi uis opinor, Summum & præcipuum in concionatore eſſe, ſi recta, ſi uera, ſi pia, deniq; ſi Euangelio conſentanea doceat. Qua etiã in re, non mediorem, ſed ſummum feruorem, Zelum, ac diligentiam conſpici oporteat. Clericus. Recte. Iam uero ut recta ut pia, ut uera doceat, non ocium, non torpor,

non

non oſcitantia, ſed aſsidua ſacrarum literarum lectio, frequens ſpiritualium rerum meditatio, adeòq; abſoluta eorum quæ ad iuſtificationis negocium pertinent, ſcientia, præſtabunt. Equidem clamant oſores quidam literarum. Solum ſpiritum hæc operari in concionatoribus, idq; ſine ſtudiorum ac lectionis præſidio, iuxta illud. Erunt omnes Theodidacti. At non uident iſti fungi ac ſtipites. Spiritum ſua uehicula, ſua organa, ſua inſtrumenta habere, per quæ operetur. Age enim, unum aliquem oſtendant, qui abſq; uerbi, lectionis, & concionis præſidio ſpiritum nactus ſit. Volu. Imò ſi ſolius ſpiritus beneficio, abſq; medijs omnibus fidem nanciſcimur. Cur Euangeliſtæ Euangelij doctrinam, commiſerunt literis? Cur tot Epiſtolis fidem inculcare, ingeminare, urgere, coacti ſunt Apoſtoli? Quem in uſum tot uigilijs, tot laboribus, tot libris euoluendis, & ſenium & parũ proſperam ualetudinẽ acceleratũt doctores Eccleſiaſtici? Sed relinquendi ſũt id genus homines ſuo morbo. Nos memores

Aſſidua lectio in paſtore requiritur.

Media.

quod Timo-Paulus lectioni intentũ esse iubet, ita sentiamus. Non tam concionandi officium, quã ardens sacrarũ literarũ studium à concionatoribus exigi. Adeòq; nihilo secius ad concionatorẽ pertinere, quod Paulus ad lectionẽ sacrarum literarum Timotheum hortatur, quã quod Christus dicit: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Clericus. Quid quod iugem lectionem, ac indefessum docendi laborem, seruens excipere oratio debet. Porro illud; oportet semper orare & nunquã deficere, non tam ad uulgum quàm ad concionatores dictum est. Volumeti. Quid ni ad pastores? Si Christum, si Apostolos, imitari uolent, iam illorum exemplo præcibus quoq; Deum identidem interpellent necessum est, idq; ea maxime de causa, ne sine fructu uel doceant uel Euangelicam sementem faciant. Sic Christus sepiuscule post conciones in desertum secessit orationis gratia. Sic Paulus alicubi dicit, Se nunquã non in orationibus memorem esse eorum, qui uerbum ab se & audierint & receperint. Atq; ad huiusmodi orationis studium Hieronymus quoq; sacerdo-

Studiũ perinde atque doctrina in concionatore requiritur.

Oratio quoque iugis cõcionatorem decet.

sacerdotes, ut ad quos non solum docendi sed & orandi functio pertineat, hortatur dicens. Moyses ad bella non uadit, non pugnat contra inimicos, sed quid facit? orat. Vincit populus eius. Si relaxauerit & demiserit manus, populus eius uincitur & fugatur. Oret ergo Ecclesiæ sacerdos indesinenter, ut uincat populus qui sub eo est, hostes inuisibiles Amalechitas, qui sunt demones, impugnantes eos qui pie uolunt uiuere in Christo. Clericus. Quid igitur concionandi prouincia habet aliud, atq; infinita negocia? labores, uigilias, ac molestias? Et tamen alia quædam æque molesta supersunt. Nimirum, pauperum, pupillorum, & uiduarum cura. Quorum nisi ipsi rationem hoc tempore habeant, nescio an ullus pro ijsdem uehementer sollicitus futurus sit. Vsq; adeo elanguit ac refrixit ubiq; charitas. Apostoli olim in principio nascentis Ecclesiæ, eam œconomiam in alios reijciebant, uerbi officio, quod tum mirũ in modum fructificabat, alio eos uocante. Reijciebant autem id ministerij, nõ in quoslibet, sed in uiros pios, cordatos, Euangelij amantes

Pauperũ cura ad pastores pertinet.

Diaconorum ministeriũ quale & quãdo cœperit.

ſpiritu ſancto plenos, & qui non commonefacti, ſed ultro hic officium facerent. Sed ubi horum ſimiles hoc tempore inuenies? In qua regione uel unum Stephanum reperies? Omnes ſua quærũt. Quo morbo etiamſi non laborent, tamen rari admodum ſunt, qui ultro eſurientes exacient, qui ſicientes potent, qui nudos ueſtiant, qui lecto decumbentes uiſitent, quiq; in carceribus detentos conſolentur. Hoc inquam qui ultro, ſponte, lubentes ac uolentes faciant, neſcio an facile apud nos reperiri queãt. Quid? Adeò horum numerus paucus eſt, ut cum Iuuenale etiam dicere ſoleam.

Bona opera negliguntur.

Egregium ſanctumq; uirum ſi cerno bimembri
Hoc monſtrum puero uel miranti ſub aratro
Piſcibus inuentis, & fœtæ comparo mulæ.

Quocirca ſi populi hic ſocordiam paſtor imitabitur, iam fame Chriſti membra cruciabuntur. Viduarum ac pupillorum nulla habebitur ratio. Lazarus ante Epulonis illius ædes, quẽ Lucas depingit, negligetur. Quid igitur faciet? Ad priores moleſtias hanc quoq; curam addet, ut nunquam non cum Paulo pauperum

Pauli exemplũ

memor

memor sit. Ita enim fiet, ut non nihil opis sentiant, qui fortaſſe alioqui eſuriturí erant. Volumecius. O miseram concionatorum conditionem. Clericus. Adde, Tanto miseriorem etiam, quanto minus, quæ faciunt, mundo placere solent. Emoriar enim, ni tot habent eorũ quæ agunt iudices, quot spectatores. Quod si etiam officio per omnia fecerint satis, ita ut neq; in iis quæ ad doctrinã, neq; in iis quæ ad hanc œconomiam pertinent, culpari queant, tamen mundus omnia aliò, ac par est, interpretatur. Hoc est, Pro summis beneficijs, summa reportant maleficia, pro summa diligentia, summum reportant odium, pro summa erga pauperes charitate, summam recipiunt iniuriam. Volumetius. Atqui nihil noui ipsis hic contingit, ut qui ignari non sint, & applaudentem mundum nunquam se habituros, & omnium fabula futuros, & nihil non conuitiorum perpessuros, iuxta illud Christi. Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret. Item illud Pauli. Quotquot pie uoluerint uiuere in Christo, persecutionem patientur. Et

Mundus prauus iudex.

tamen indigne adeo faciunt, qui dedecore & ignominia perfundunt, quos omni beneficiorum genere adfici conueniebat, Cle. Sepe hic iniquissima huius mundi iudicia admirari soleo Qui recta docent, qui uitæ innocentia commẽdabiles se faciunt, qui sacris literis addicti, diu noctuq; in lege domini meditantur, ij Vulgo & contemnuntur & exibilantur. Quin cõtra ij, qui nec docent recta, nec innocenter uiuũt, nec ullam literis nauãt operam, in magno præcio habeãtur. Ab ijs præcio redimũtur Missæ, ijs pro quibus nescio Cæremonijs pecunia adfatim numeratur. His deniq; pro summa malitia summum est præmium, Quid obsecro hic Terrencianus ille Geta, dicturus esset, si hoc tempore uiueret, qui tum dicebat, præmiũ ijs esse qui recta praua faciunt, quum tanta hominum fraus ac impostura non esset, quanta nunc passim cernitur? Me profecto hæc, a docendi prouincia deterrent maximopere. Et tamẽ non inficias eo, recte Paulum dixisse, eum qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderare, At quum in nostra quoq; uocatione Christo seruire

Iudicio rũ prauitas.

Episcopatus bonũ opus

uire commode queamus, libenter Paulo cõmemoratas delitias, theologis noſtris reliquero Volu· Imó maiore interdum cum fructu in ludis noſtris uerſamur, atq; in ſuggeſtu theologi· Quod ſi quis roget, Cur iſtuc? Is meminit rẽ nobis eſſe, cum iuuentute, cumq; puericia, illis uero cum adultis & natu grandioribus. Iam quanto certius eſt, Iuuentutem & pietatis capacem & ad omnia ſequacem eſſe, propterea quod ſuperſtitioni nondum adſueuit. Tanto certe difficilius natu grandiores, a ſuperſticioſis ritibus illecti, ad purius pietatis genus pertrahuntur· Habent ill. auditores paucos & raros, qui uerbo dei uere adficiuntur· Nos contra parem in omnibus ferè pueris docilitatem uidemus, Cler· Negari hæc non poſſunt, Sed heus Memores eſſe hic nos, quid charitas iubeat, oportet, Volume· Ea quid iubet? Cleri. Vt cõmunibus uotis ac præcibus deum utentidem interpellemus, quò cum fructu non tám noſtra inſtitutio procedat, quám illorum conciones audiantur· Interim ſtrennue præſtemus, quod Lacon quidam pædagogus, preſtaturũ ſe reſpondit, Iuuenes Adulti· Apophthegma obſeruatu dignũ

dit, quum puer cuiusdam cura suscepta interrogaretur, Quid illum docturus esset. Efficiã, inquit, ut honestis delectetur, turpibus offendatur, Volu. Recte mones. Sed quid uetat quo minus Lœtum hunc sumamus diem? Cleri. Id tecum facturus eram, etiamsi nullus monuisses. Proinde sequere me, Volu. Sequor.

COLLOQVIVM DE autoritate Scripturæ.

Poppius. Meierus.

NVNquam te Meiere neq; in foro neq; in sacris ædibus, neq; domi offendo, quum quem nescio libellum circumferas ac introspicias. Quid obsecro tam diligenter legis? Nate literarum amantem esse oportet, iampridem a Musis diuulsus, adq; ciuilia negocia raptus, non tamen cum Musis nostris colloqui cessas, Meierus. Diuulsus equidem a Musis sum magno meo incommodo, fateor, sed nec sponte

studiorũ amor.

sponte nec uolens. Poppi. Summa me ab istis delicijs abstraxit necessitas. Quod si per me stetisset, quiduis citius factur⁹, ac studia relictu rus erã, Poppi. Fortassis bona domini uoluntate factum est, quicquid huius factum, Non tam enim eruditionem in iuuenibus Christus probat, quam pietatem. Equidem optarim erudi pietas.
tionem omnes ex equo expetere adolescentulos. Sed quum eò interdum res parentum nostrorum redeant, ut ope nostra, consilio, & auxilio habeant opus, fit, ut multi literarum studia uel ob paupertatem, uel aduersam fortunam deserere cogantur, qui fructum alioqui in literis non contemnendum facturi erant, Meierus. Id ita esse uel mea conditio arguit. Et tamen non committam, quin a negocijs feriatus, bonarum autorum lectione subinde me oblectem, Helmoldus. Facis ita uti te decet. Sed quid nam id libelli est, quod semper teris manibus? Meierus. Introspice, Poppius. Ah, Bene factum. Nouum testamentum est, Meierus. Iam nunc igitur quid legere soleam uides?

Ego

Cũ Christo colloquuntur qui literas sacras legunt.

Ego certè qua lectione potius animum meum recreem, non uideo. Colloquor hic cum meo Christo. Video quid iubeat, lego quid uetet, adeoq; quod nam iter ad æternam illam beatitudinẽ ostendat, obseruo diligentißime, semp timens, ne ueniens á nuptijs & imparatum me offendat & oscitantem amoto mætu opprimat Poppi. Valde mihi probatur iste tuus tàm pius animus. Sed num times, quum librum semper circumferas, ne te inter Euangeliophoros Erasmus numeret, qui ut maxime, Euangelicum codicem circumferant, nihilo tamen minus interim uicijs intus scateant? Meierus. Istuc timere qui possum, quum idem pulcherrima præfatione huc me inuitet. Malos fortaßis & Euangelico nomine indignos taxat, si quos huius rei gratia taxat. Helmol. Ita quidem facere uideri uult. Sed tamen nihilo secius hac ratione ijs, qui Euagelio dedere nomina, inuidiam conciliat. Meierus. Istam in uiro doctißimo infirmitatem, uel propter canitiẽ, toleremus oportet. Helmol. Tolerabimus, sed ita tamen, ut nihilo segnius, et literas sacras legam⁹ & diu noctuq; in le-

in lege domini meditemur, Meie. Quid alij huius facturi sint nescio. Ego certe immemor nunquam ero, quod in ueteri lege tàm diligẽter ad uerbi sui & lectionem & meditationem dominus prouocat. Ponite inquit, hæc uerba mea in cordibus & in animabus uestris & colligate ea pro signo in manibus, & sint memoriale inter oculos uestros, Docete ea filios uestros, ut de illis loquantur, quando sederis in domo tua & ambulaueris in uia, quando iacueris atq; surrexeris, & scribes ea super postes domus tuæ, & in portis, ut multiplicentur dies uestri, & filiorum uestronum. An non enim hæc ad nos quoq; pertinent? Poppius. Certe pertinẽt. Ni si forte æquum non est, eius a quo & Christiani uocamur, & æternæ uitæ brabium expectamus, placita, probe & tenere & meminisse. Iudæi olim Mosis legem ad uerbum ediscebant, indignum rati opinor, si eius præcepta, cui & debebant omnia & nomina dederant, ignorarent. Et nos Christianum nomen iactabimus, quum Christi doctrinam nesciamus? Pythagoricus olim non dicebatur, qui Pythagoræ dogmata

Lectionẽ sacrarũ literarũ exigit deus.

Iudæi

pythagorici.

platonici. peripatetici. mata probe non perdidicisset. Inter platonicos neutiquam numerabatur, qui platonis placita non nosset. Inter Peripateticos non habebatur, qui Aristotelica non hausisset. Quid dicam de nostri sæculi hominibus? Da franciscanum, da Dominicastrum, da Augustinianum, qui eius diui, cui nomen dedit, Regulam non calleat. Omnes instituti sui rationem, diligentius perdiscendam iudicant. Omnes quotquot ad disciplinam quampiam appellunt animũ sectæ suæ præscripta memoriter etiam norunt: Soli Christiani seruatoris sui dogmata negligunt, fortassis persuasi, Abunde satis præceptorum ac dogmatum se tenere, si sacrum non intellectum dominicis diebus audiant, Meierus. Fateor bonam Christianorum partem, ad sectam ita antehac fuisse, Sed quorum culpa hæc acciderunt? An non eorum, qui Euangelij loco suas fabulas, sua somnia, suas nugas populo inculcarũt? Qui si pari diligentia, ac nũc Euangelium docetur, ueritatem docuissent, fortassis alia tum futura erat rerũ facies, Poppius. Quãta hac in re sacrificorum ac monachorum

Christianorũ ostentantia.

orum culpa fuerit non ignoro, At ego Satanæ præstigias hic miror, quibus oculos nostros ita dementarat, ut humanas constitutiones diuinis præceptis etiam anteponeremus. Quanta fuit hæc, deum immortalem, cæcitas? Quem obsecro tantorum errorum non pudeat? Quod si auctoritas hac in re queritur iactatur Petri & successorum eius Primatus, quum tamen a cœlo terra tantum non distet, quantum humana dignitas (si tamen ulla est hac in re hominis dignitas) creatoris sui maiestatem æquare non potest, Et tamen instigante Satana eò temeratis peruentum est, ut Euangelicæ doctrinæ rara fuerit in Ecclesijs mentio, quum contra omnia ferè templa humanis, hoc est, demoniorum doctrinis perstreperent. Quanta putas facta hic est, creatori nostro iniuria? Quanta hic adfectus est Christus ignominia? Meierus. Negari non potest, quin maxima. Sed gracia deo, qui nos a tam crassis tenebris nihil tale meritos, per gratuitam bonitatem suam liberauit, Alia nunc est Ecclesiæ facies ac olim fuit, quæ ut maxime & sectis & persecutionibus etiã nũc impe-

satanas præstigiator.

Iniuria creaturæ in creatorem.

impetatur, tamen & uerbum nullis glossematis uiciatum habet, & in iustificationis negocio probe ac pie instituitur. Poppius. Videndũ tamen est, ut ne tantum thesaurum, ultro donatum nobis, è manibus amittamus, id quod futurum est, si uerbi autoritatem, quam nunc multi agnoscunt, de nouo opprimi sinamus. Meie.

uerbum mordicus tenemus oportet.

Non sinemus, modo Christus ita uti cœpit, Ecclesiæ suæ dexter adesse dignabitur. Poppius. Christus nobis haud quaquam deerit, si ipsi nobis non desimus, uerbi illius autoritatem nunquam non sacro sanctam habentes. Meie. Verbi autoritas maior est, quàm ut labefactari possit. Poppi. Si quidem diligenter in conciliis urgeatur. Neq; enim nescimus quid Papæ ac Concilijs, hactenus contra hanc ipsam autoritatem permissum sit. An non suo arbitratu scripturas antehac pontifices interpretati sunt? Vnde igitur tot legum retia? tot constitutionum tricæ? tot traditionum tendicula, quæ uel deterrere à Christianismi professione hominem queant, nedum huc aliquem prouocare. Quemadmodum igitur falso illam Papæ

Humanæ constitutiones.

auto-

autoritatem Papiſtæ iactarunt hactenus. Ita nos uiciſſim ſcripturæ autoritatem illis obijciamus, ut quæ tanto commendatior nobis eſſe debeat, quanto omnibus creaturis maior eſt is, à quo proficiſcitur. Somnia illa humanarũ traditionum ab homine profecta ſunt, hoc eſt, ab eo, qui & fallit & fallere poteſt, & cui Elogiũ decantare aliud nõ poſſumus, atq; illud, Omnis homo mendax. Meie. Huc adde, Omnes hypocritæ ſunt, & nequam, & uniuerſum os locutum eſt ſtultitiam. Poppius. At uero Euangelij doctrina, non ab homine, ſed a Deo profecta eſt, ueluti Chriſtus ipſe teſtatur. Sermo quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me patris. Audis unde ſalutifera illa, & incognita mundo Euangelij doctrina profecta ſit? Non hominem autorem habet, non creaturam, non angelos, ſed Deum ipſum, qui per filium ſuum eandem nobis reuelauit. Quocirca autoritatẽ eiuſdem doctrinæ tàm conuenit apud nos haberi ſacro ſanctam, quàm eſt certum, Omnis ſanctitatis autorem eſſe, à quo proficiſcitur. Meie. Quid ni ſanctam? Contemni profecto

Euangelij doctrina unde

Scripturæ autoritas.

filij sui doctrinam non uoluit, qui semel atq; iterum his uerbis intonuit. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, hunc audite. Poppi. *Pythagoricos ferunt, si quid inter disputandum adseuerabant, quærentibus quare ita esset, respondere solitos,* αὐτὸς ἔφα. *Quàm uero id est ridiculum, si de humanis placitis intelligatur? Contra. Quàm est conueniens, si ad scripturæ autoritatem detorqueatur? ut idem sit cũ eo, quod de Christo pater dixit Hunc audite.* Meierus. *Animaduertere hæc, qui humanas traditiones & Euangelio præferunt, & scripturam perinde atq; Philosophorum dogmata legunt, debebant. Quid enim æque impium, atq; creaturam præferre creatori? quid indecentius, atq; mendacium præferre ueritati? quid æque blasphemum, atq; humanas cõstitutiones anteferre Euangelio? Magna fuit multis retro seculis cœcitas. Negari hoc non potest. Et tamen nõ defuerunt, qui & ipsi hanc scripturæ autoritatem & agnoscerent, & tuerentur.* Poppi. *Inter eos facile excellit Augustinus. Ita enim in libro de doctrina Christia-*

Augustinus scripturis multum tribuere solet.

na inquit, Titubat fides, si diuinarum scripturarum uacillet autoritas. Porrò fide titubante, & charitas ipsa langueſcit. Idem de unico baptiſmo, Quis neſciat ſactam ſcripturam Canonicam, tam ueteris quàm noui teſtamenti certis terminis ſuis contineri. Atq; poſterioribus omnium Epiſcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino diſceptari & dubitari non poſſit, utrum uerum uel rectũ ſit, quicquid in ea ſcriptum eſt? Meierus. Multum profecto ſacris literis ibi tribuitur. Poppius. Atqui aliquanto clarius ad Hieronymum ea de re ſcribens. Ego inquit, ſolis iis ſcriptorum libris, qui iam Canonici uocantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum ſcribendo erraſſe audeam credere. Aut ſi aliquid in eis offendero, quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud exiſtimem, quàm mendoſum eſſe codicem, uel non eſſe aſſecutum interpretem quod dictum eſt, uel me minime intelligere non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, quantàue doctrina pol-

Verba Auguſtini.

leant, non ideo uerum putem, quia ipſi ita ſenſerunt. Sed quia mihi per alios autores, uel Canonicas uel probabiles rationes, quod à uero non aberrent, perſuadere potuerunt. Meierus. Hunc quoq; locum ab ijs, qui á patrum autoritate tantum pendent, miror non animad uerſum eſſe. Poppius. Quid dicam de Hieronymo, qui Demetriadē uirginem, ad diuinarū ſcripturarum lectionem, ita hortatur, ut nihil obſcuris uerbis dicat, ſolum per has literas dei uoluntatem cognoſci? Hic mihi Papiſta quiſpiā reſpondeat. Quum Dei uoluntatem & cognouiſſe & præſtitiſſe, ipſiſſimus Dei cultus ſit, quorſum adtineat, agnitionem eius uoluntatis è patrum conſtitutionibus peti, quàm nō niſi è ſacris literis petendam Hieronymus hic pronunciat? Meierus. Atqui oculos hic Papiſtæ non habent, ipſis talpis cæciores. Solum hæc uidēt. Qui uos audit, me audit. Item, Multa habeo uobis dicere, quæ non poteſtis portare modo. Perinde ac ſi regnū quoddam ipſis uerba hæc conſtituant, in quo ſuo arbitratu, quicquid libet uel ſtatuendi uel prohibendi poteſtatem habeant

Hieronymus ſcripturæ quid tribuat.

papiſtæ ubi oculos habeant.

beant. Poppius. Qui Christi loco audiri uolunt, ij uicissim non dignabuntur Christi uestigijs ingredi. Cui quum aliud, ac à patre audierat loqui permissum non sit, istis scilicet fungis licere hoc ipsum arbitrabimur? Verba, inquit Ioannis 17. quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt & cognouerunt uere, quod à te exiui, & crediderunt quod tu me misisti. Ibidem Ego tradidi eis sermonem tuum, Tuum, inquit, non meum. Et paulo post, Notum eis feci nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Magna hic est in Pronominibus, si quis diligentius obseruet, Emphasis. Quocirca quum in uno capiteter repetatur, patris tantum doctrinam Apostolis traditam esse, miror cur somnijs suis Papistæ eandem reuerentiam ac obedientiam deberi existiment, quæ Christo, & à patre misso & à patris uoluntate nihil diuersum docenti debeatur. Si nos dicto audientes habere uolent, age, patris doctrinam Christi exemplo nõ suas nobis nugas imperciant. Cuius doctrinæ quanquã caro per se capax non sit, nisi spi-

Emphasis in pronominibus

ritus dono illustretur, tamen bona spes est, si auidi auditores uerbi simus, Christum nobis quoq; spiritū suum donaturū, qui nos in omnē ueritatem ducat. Huc enim promissio illa pertinet, quàm ei loco, Multa habeo uobis dicere, adnectit. Id quod ex sequentibus, facile colligi poterat, si cæci non essemus. Sic enim sequitur. Non loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet loquetur. Item, Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis. Quis hic non fateatur, spiritum patribus non alia, quàm quæ Christus docuerit antea, reuelaturum? Ob eamq; causam, ea demum lege obedientiam ijsdem deberi, si Christi exemplo, Euangeliū, Euangeliū inquā, doceant. Mele. Atqui traditiones illas suas Euangelio æquant, adeoq; parem cū uerbo Dei autoritatem habere persuasi sunt. Poppi. Id uero stultissimum esse ex utriusq; doctrinæ effectibus facile æstimari poterat. Quid enim Euangelicæ conciones efficiunt aliud, ac submissum spiritum, atque confidentia operū, & omni carnis arrogantia, alienissimum? Non superbe, qui hoc doctrinæ genus amplectantur, de se sentiunt, nihil uiribus

Promissio.

Qualege Episcopis debeatur obedientia.

Efficacia doctrinæ Euangelicæ.

ſuis tribuunt. Nihil operibus ſuis deberi norũt, & in Chriſtũ tantũ defigentes oculos, et mera domini bonitate fidentes. Id quod in diuo Paulo uidere eſt, qui quantumuis ingentibus donis donatus eſſet, tamen omnium Apoſtolorũ minimum ſe uocabat. Et peccator ille Euangelicus, ne oculos quidẽ in cœlum attollere audet, domini bonitatem imploraturus, tantum abeſt, ut ulla operum confidentia intumuerit. Contra quàm arrogantes ſunt, quã ſuperbi ſunt, quã cõfidenter ſua & iactant & admirant, qui ſomnijs iſtis humanis addicti, aliquantam probitatem ſimulare didicerunt? Hi nimirum Chriſtũ quod cũ publicanis & peccatorib. manducat, deſpiciũt. Hi Apoſtolos ſpicas uellentes reijciunt, hi peccatricẽ illã, Chriſti pedes & lachrymis lauantẽ, & capillis capitis ſui tergentẽ, cõtemnũt. Quid multis? nihil Euãgelicis peccatoribus ſubmiſſius. Nihil cõtrà, operũ iactatoribus arrogantius eſt. Mei. Vera hæc eſſe res ipſa clamitat, niſi fortaſe faſtus non eſt, quod Hypocritæ noſtrates, non tantũ operibus fidũt, quaſi ijſdem cœlũ debeat, uerumetiã alijs illa ipſa diuẽ

Humanæ doctrinæ efficatia.

Nota.

dunt. Poppi. Quis igitur Euangelicã doctrinã & a Deo prófectam, & cum tàm ſalubri efficacia coniunctam, humanis, hoc eſt dæmoniorum doctrinis potiorem ac maiori in pretio non habeat? Taceo hic maxima illa impiæ doctrinæ incommoda, uidelicet ſemper cum dubitatione pugnantem animum, irrequietam conſcientiã, diffidentiam cum conſcientiæ terroribus ad deſperationem uſq; luctantem, quum cõtra apud pios omnia pacata ſint, omnia facilia ſint, omnia libero ſpiritu fiant, nullus metus, nullus terror, nulla denique conſcientiarum carnificina ſit. Quæ omnia ſi aliquanto diligentius conſiderarent, qui diuinis humana potiora habẽt, adq; defectionem a creatore ad creaturas ſolicitant homines, dubium non eſt, quin aliter facturi eſſent. Sed ualeant iſti. Ego emoriar ſi ullum urquam auditurus ſum, atq; iſtum de quo dictum eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, hunc audite, Meie. Saluti tuæ conſulere rectius non potes. Proinde ſententiæ huius adſtipulatorẽ me quoq; perpetuo habiturus es.

Falſæ doctrinæ incommodæ.

COL-

tione & Ieiunio.

Menius. Cotta.

HEVS Cotta, *quo properas?* Cotta: *Ad sacras ædes, & contionem auditurus, & ecclesiæ orationi interfuturus.* Meni. *Atqui concionari iamdudum symmistes meus desijt,* Cot. *Quid? Cõcionari symnistes tuus desijt? Næ tu mihi rem incommodam narras,* Meni. *Ita est ut dixi, cõcionari desijt,* Cot. *Malefaciat igitur deus isti somno, qui ut eam concionem negligerem in causſa fuit. Sed est ne cõcionatus de Oratione te Ieiunio, id quod heri facturum se recepit?* Menius. *Est, & quidem diligenter,* Cot. *Certe frequentibus de Ieiunio concionibus mihi ac mei similibus esſet opus, modo audire nõ grauaremur. Nam quod ad me attinet, fateor hesternam compotaciũculam in causſa fuisſe, quó minus expergefieri in tempore potuerim (cur enim culpam non fatear?) Dabitur tamen opera, ut ne posthac ad eundem impingam lapidem*, Meni. *quod culpã*

fateris, minime mali inditium est. Sed tamen interim acceptum damnum non sarcitur, nisi forte neglectam cõtionem non habes pro damno,

Sacra res Concio.

Cot. Ingens damnum est, fateor, sed tamen reparabile opinor, Meni. Per quem igitur sarcietur? Cot. Per quem nisi per te, parochum meum? Meni. Atqui me iam aliò rapiunt negotia, Cot. Credo, sed ista negotia non dubito quin eius generis sint, ut huic nostro negotio postponi possint. Imò quàm est certum, ad Christianã panopliam, orationẽ quoq; pertinere ac ieiunium, tàm est & hoc certum hisce de rebus confabulationes, omnibus terrenis negotijs potiores esse, Meni. Quòd ad Christianam panopliam, oratio pertineat & ieiuniẽ, manifestius est, quam ut negari possit. Atq; ita huc oratio pertinet, ut peculiari etiam præcepto ad eam rem adigamur, tantũ abest, ut separari a Christiano possit, Cot. Præcepti speciem habere fatear, quod Christus indesinenter Christianum orare oportere dicit, ac nunquã deficere, item illud. Petite & dabitur uobis, pulsate & aperietur uobis. Quid igitur Christianã orationem uocas?

uocas? Meni. Recte epitheton addis. Aliter enim Christianus, aliter hypocrita orat. Hypocritarũ oratio, multiloquio & battologia constat, quẽadmodũ Christus inquit, quòd sub pretextu longe precationis, domos uiduarũ deuorẽt. Quorum hypocrisin nostrates hypocritæ hoc est, monachi secuti, quot bene deus uerborũ modios effundere, quot cãtiones asininis clamoribus in templis deridere solent? At uero Christianorũ oratio spiritu cõstat. Fide cõstat, ueritate cõstat, feruẽti deniq; piarũ mentiũ desyderio constat, Ob eamq; non immerito sermõ cum deo colloquiũ uocatur, adeoq; grauis perpẽsio eorũ, quæ gloriæ dei in nobis desunt, cũ ardẽti spiritus præcatione, ut ea in nobis sarcian tur, Cor. Cũ deo igitur, quotquot orãt, colloquũtur? Meni. In corporalibus rebꝰ fermè accidere uidemus, ut quicquid animũ nostrũ habet male, in amicorũ sinum, ueluti per colloquij secretũ effundamꝰ, si fortassis uel ope uel cõsilio nobis opitulari queãt. Quãto rectius in ijs quæ spiritualia sunt, ad summũ amicum, hoc est, celeste numẽ confugimus. Neq; enim ibi amicis qui

Christiana orationis quid.

leui

leui momẽto huc uel illuc impellũtur, ſed Deo naturæ clementiſſimo, ſed patri, benigniſſimo, quem etiam bene nobis uelle certo ſcimus, animæ noſtræ anguſtias detegimus. Ad hæc, auxilium in illis ipſis orationibus, non ab ijs, qui ꝓut fortuna adblanditur, nunc hoſtes ſunt, nunc amici, ſed ab eo potius petim⁹, cui & opitulari in promptu ſit, & qui per Chriſtum exorari facile poſſit. Cotta. Non tamen Emphaſi carere puto, quod huiuſmodi cum Deo colloquium peculiari epitheto, ſerium uocas. Menius. Iamdudum dixi, aliter Chriſtianum, aliter Hypocritam in oratione adfectum eſſe. Hypocritæ gloriam & popularem auram & commodum ſuum in oratione uenantur, omnino à fide uacui, quare loqui etiam ſerio cum Deo non poſſunt. Chriſtiani contra demiſſis criſtis, & grauari peccatis ſemper ſeſe, & gratia ſibi hac de cauſſa opus eſſe agnoſcentes, ſerio à Deo auxilium expetunt, ſerio interpellant, ſerio ſuſpirant ac inuocant, pleni fiducia, quod certo opem & ſenſuri & impetraturi ſint. Cotta. Eò tendebã Neq; enim à fide orationem diuelli poſſe arbitror.

Seria debet eſſe Chriſtianorum oratio.

tror. Menius. Nihil falsus es, Nam si à fide inuocationem & orationem separes, iam non oratio, sed inanis battalogia erit. An non enim peculiaribus promissionibus, ad orationem inuitamur? Quicquid, inquit Christus, petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Item, Si uos quum sitis mali, nostis tamen bona dona dare filijs uestris, quanto magis pater uester cœlestis, dabit spiritum sanctum petentibus se? Iam ad promissiones adprehendendas, an non fide opus est? Cotta. Ita opinor. Menius. Quàm igitur certũ est, diuinis promissionibus ad orationem nos inuitari, tam negari & hoc non potest, quin in orationis exercitio Fides ferè dominetur. Quæ si absit, iam frustra diuinæ aures, multiloquio nostro percelluntur. Cotta. Quid uero si adsit? Menius. Iam quiduis impetrat. Cotta. Etiamsi quid præter domini uoluntatem præcetur? Meni. Minime gentium. Nam spectandum istuc in oratione modis omnibus est, ut ne præter domini uoluntatem oremus aliquid. Leprosus ille Euangelicus, sanitatem à Christo orat, sed ita, ut contentum futurum adpareat,

Fides & inuocatione cõiuncta.

Contra Domini uoluntatem nihil petendũ.

Contra domini uoluntatē nihil petendū.

adpareat, ſiue impetret quod petijt, ſiue non impetret. Si uis, inquit, potes me mūdare, Cot. Qui ſcire autem potero, quid ex domini uoluntate ſit, quid ſecus? Meni. Reuera interdū quid oremus, neſcimus. Exempli gratia, Mater filiorum Zebedei orabat, ut alteri, ex filijs in regno ipſius ad dextrā, alteri ad ſiniſtram ſedere liceret. Sed nec quid peteret ſciebat nec quod uolebat impetrabat. Hanc uero imbecillitatem noſtram iuuari per ſpiritum ſanctum apoſtolus fatetur. Et Chriſtus ipſe, ut ne facile hic impingeremus, formam nobis præſcripſit, unde quid petendum ſit, diſceremus, præcationem uidelicet dominicam, in qua humanæ uitæ neceſſitatem tàm depinxit graphicæ, ut nullus Apelles potuerit artificioſius, Cotta. Quod igitur ex domini uoluntate petitur, id ne impetrat? Meni. Nihil certius. Ita enim autor eius Epiſtolæ quæ diui Iacobi titulo circūfertur, inquit. Multum ualet deprecatio iuſti aſſidua. Helias homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & orauit oratione ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex. Et rurſum orauit,

& ce

& celum dedit pluuiam, & terra dedit fructũ suum, Cot. Atqui uidemus deum opem suam diu interdum differre, neq; precantis statim respondero uoluntati. Quã mihi eius rei causſam adfers? Meni. Multe res causſa sunt. Principio exercere fidẽ nostram uult, ut nõ solum urgentæ necessitate inuocemus, uerumetiã ut pulsare, si non statim exaudiamur, pergamus, nihil addubitantes, quin certo tandem nos, utcumq; aliter res adpareat. exauditurus sit. Deinde docere Vult, ut mortificata uoluntate nostra. illius uoluntati nos attemperemus, sic iudicantes, si exaudiamur, e re nostra fuisse, ut exaudiremur, sin minus, e re nostra, ut uotorũ compotes efficeremur non fuisse. Postremo ad sueffieri nos, si non statim sentiamus auxilium oportet, ut ne metam, tempus, modum, illi præscribamus. Nam ipse, quando & quibus modis dandum sit, solus nouit, eoq; per Prophetã clamat, si morã fecerit expecta eũ. Quã quã cur nõ hic Augustini hac de re sententiam adscribim⁹ plane dignã que uel aureis literis in

Cur deus auxiliũ suũ interdũ differat.

parie

parentibus omnibus depingatur? Deus, inquit, nouit, quid det, & cui det. Aderit pulsanti, aderit petenti, & si forte non dederit, nemo dicat se desertũ. Forte enim aliquid dare differt, sed neminem esurientem relinquit, Si enim non dat ad horam, exercet querẽtem, non contemnit petentem, Cotta. Fortassis Syrophenissæ exemplum huc pertinet, quæ bis atq; iterum a Christo repulsam passa, non tamen prius orare ac interpellare desijt, quam pectus illud, in speciem quidem durum, sed reuera summa bonitate plenum, precum improbitate expugnasset, Meie. Imó an in toto nouo testamẽto aliud sit, quod æque huc quadret nescio, Cotta. Qui fit autem, ut in Veteri pariter & nouo testamẽto, ieiunium cum oratione passim cõiungitur? Ieiunauimus, inquit Esdras, & rogauimus deum nostrum, pro ea re, & euenit nobis prospere. Ad quem modum Iudith quoq; inquit. Scito te quoniam exaudiet dominus præces uestras, si manentes permanseritis in ieiunijs & orationibus in conspectu dei. Quid dicã de eo, quod Christus inquit, Esse genus demoniorũ, quod

Aur, a
uguſti
ſenten

ab ho

ab homine expelli nequeat, nisi per orationem & ieiunium? Et Paulus ad Corinth. scribens, Ne fraudetis inquit, uos inuicem, nisi si quid ex consensu pro tempore, ut uacetis orationi & ieiunio, uides ubiq; hic orationem cum Ieiunio coniũgi, Meni. Dixi antehac, orationem esse serium cum deo colloquium. Iam serio cum deo loqui, qui queso poterunt, quorum uenter ingluuie & crapula distinetur? Neq; enim facile ad superna erigitur animus, cum hac ueluti mole grauatur. Ad hæc, qui uino dediti sunt & crapulæ, ij de nulla re minus atq; de interpellando deo sunt soliciti, ut ne igitur hisce ueluti retinaculis orantium feruor impediretur, usum est deo, priscorum orationes cum Ieiunio coniungere, quo uidelicet & ad precandum & ad omne opus bonum paratiores & alacriores redderentur. Hinc Christus quoq; suis in Euangelio crapula interdicit, ad sobrietatem cohortatus. Cauete inquit, ne corpora uestra crapula & ebrietate grauẽtur. Et alibi, auferetur ab eis sponsus; & tunc ieiunabunt, Cotta. Negari non potest, quin quemadmodũ nulli rei idonei

Ieiunio cũ oratione in scripturis coniũgitur.

ſunt ſeruientes abhominationi, ita rurſus & adorãdum & ad bene operandũ, eos ſolum aptos eſſe, qui cõtinenter uiuentes, corpora ſua in ſeruitutem redigũt, ac caſtigare non ceſſant. Neq; enim abs re dictũ a Petro eſt, Sobrij eſtote & uigilate, Meni. Quia ergo hæc ieiuniorũ principalis cauſſa eſt, iam Chriſtianũ quoq; ieiunare oportebit, hoc eſt, aſotiam deteſtari, ſemper ſobrium eſſe, crapulam uitare, adeoq; inſponſi occurſum ſemper paratum eſſe. Ita enim fiet, ut non tam orationi, quam omnibus operibus bonis commode uacare poſſit. Præſertim tamen hoc tempore, & orationi & purioris uitæ ſtudio plus ſolito addictiores nos eſſe conuenit. Quod enim ſeculum unquã fuit, hoc tempore periculoſius? Quãdo unquã fuit uitiorum hubertas maior, quãdo capitalioribus diſſidijs mundus unquã laborauit? Quæ ætas hæreſes uidit, uel frequetiores uel nocẽtiores? Hic inquã ieiunijs, hic uigilijs, hic orationibus, opus eſt, quemadmodum in ueteri quoq; lege, tum maxime a Prophetis ad uitæ immutationem

Quomodo ieiunio uti Chriſtianus debeat.

nem & orationem prouocabatur populus, cum insignis aliqua urgebat necessitas & calamitas Cotta. Mirum ni Papistas in suo instituto diligentiores atq; nos pronuncias. Nam eos audio in ieiuniorum suorum obseruatione, ac precibus suis per murmurandis, aliquousq; adhuc diligentes ac sedulos esse. Menius. Quasi uero de Hypocrisi nobis hic sit sermo. Permurmurant illi quidem horas suas Canonicas, sed ita ut à spiritu, à ueritate, sint quàm longissime, adeoq; recte de illis dici possit. Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum procul a me abest. Quanquã quis non uidet Papistas plærosq; hac in re cœpisse Lutherissare? Nouu Canonicũ quendam, Lutero adeò inimicum, ut ne mẽtionem quidẽ eius citra bilem audire possit, qui tamen totũ decennium à Canonicis illis horis, ut uocant, legendis in uniuersum abstinuit. Quid dicã de talium hominũ ieiunio? qui nõ in hoc à cibis astinent, ut ec sint ad opera bona ac orationẽ paratiores, sed ut in cibor̃ uarietate uoluptatẽ quærãt? Qua de re ita Hieron. inqt

Papistæ Lutherissant.

Quale est illud ieiunium, aut qualis refectio post ieiunium, quum præclaris epulis distendimur, & guttur nostrum mediator fit lachrymarum? Hactenus Hierony. *Quod si etiam crapulam Ieiunij hoc tempore nõ sectarentur, tamen ob impietatem, ob idololatriam, obq; neglecta charitatis opera, frustraneum esset & hoc Ieiunium, ueluti Esaias dicit: Ecce ad litem & contentionem ieiunatis, & percutitis pugno impie. Nunquid tale ieiunium est quod elegi, per diem adfligere hominem animam suam? nunquid concoquere quasi circulum caput suum? & saccum & cinerem sternere? Nunquid istud uocabis ieiunium & diem acceptum domino? Id certe genus ieiunia, præces, & murmura Papistis facile reliquero.* Cotta. *Nõ immerito, modo ea apud nos ieiunia conspicerent, quæ & Christiana sunt, & libero spiritu fiunt, & ab Apostolis subinde cõmendantur, & coniunctam semper orationem habent. Si præterea & à peccatis abstineremus, & mortificata per spiritum carne, iustitiæ uiueremus.*

papistarum ieiuniũ Deo ingratũ.

Nam

Nam hoc quoq; audiui antehac, quoddam ieiunij genus esse. Menius. Seruus, inquit in Euãgelio Christus, sciens uoluntatem domini & nõ faciens, uapulabit plagis multis. Certe ignorantiam prætexere hoc seculo potest nemo. Docetur pure uerbum, innotescit quotidie nobis magis magisq; ueritas, quid agere, quid omittere debeamus, nemo est qui ignorare possit. Quòd si quis dicto audiens non esse, adeoq; a uitijs ac peccatis abstinere & ieiunare non uolet, is indubie habiturus est suum iudicem. Nobis ingens illa praue uiuentium multitudo, haudquaquam tum patrocinabitur, cum in iudicium uenturus est dominus. Cotta. Scio. Menius. Quin igitur quod scis facis sedulo? Cotta. Faciam, crede mihi. Neq; enim ex eorũ numero sum, qui quum ipsi, quid in rem suam sit peruidere non possunt, alijs etiam parere recusant. Si non longius progressus sum, certè eo gradum feci, ut recta monentibus parere sciam. Menius. Si eum animum retinueris, ilicet, uicisti.

Ignorantiam nemo prætexere hoc seculo potest

COLLOQVIVM DE Magistratu.

Nordecus. Fontius.

QVid tu hic iam Fonci desides? Aut te illa non delectant apud forum spectacula, quorum gratia multi è longinquo etiam aduolare huc solent? Fonci. Equidem nescio quã uoluptat habeat, si infesta lancea alter alterũ equo deturbet deiiciatq; Martijs animis ea res grata esse solet, nõ Musarum cultoribus. Nor. Atqui ego spectaculum iam in turbis istis uidi, quod uel morosum Theologũ oblectare queat Fontius. Id profecto quale sit audire gestio. Nã quicquid gestum hactenus ibi est, uel militare prorsus fuit, uel aliqua ex parte ridiculum. Puto Democritũ si præsens adesset, præ risu emoriturum. Norde. Ducem nostri à Leunenburg Franciscum. Fonti. Noui. Nordecus. Et in quo diuersorio agat? Fontius. Noui. Nordecus. Is quum iam e fenestra prospectans, decurrentes huc illuc equites intueretur solicitius, uidit miserum

Franciscus dux Leunenburgensis.

a Epilepsia.

ſerum quendã comitiali morbo corripi, poſtq; ita ſolo caput illidentem, ut damnum acceptu-rus uideretur. Qui præſentes aderant, attrecta re iacentem auſi non ſunt. Fontius. Fortaſsis periculum attactus huiuſmodi habet. Nordi-cus. Iſtuc Phyſici uiderint. Sed tamen ea res ab auxiliando principem optimum non deterruit. Principio enim ſiue ſpectaculo miſerabili, ſiue circunſtantium duritia permotus, puerum mi-ſit, eumq; nobilem, qui miſeri hominis caput prehenſum tantiſper teneret, dum morbo li-beratus ad ſe rediret. Fontius. Pietatis in prin-cipe optimo exemplum audio. Nordecus. Mul to magis id dices, ſi cætera audieris. Fontius. Perge igitur. Nordecus. Vbi uero puerum te-neriorem uidet, quàm qui ſpumantem iam, & caput ſolo illidentem ſolus fouere poſſet, accur rit ipſemet, puero laturus auxilium. Fontius. Pudet me profecto turbæ, quòd Principem anteuertere ea in re ſuperſederit. Norde-cus. Planè ſuperſedit. Nam ſimul atq; aduo lauit, prehendit & ipſe miſeri hominis caput,

præhensumq; nō prius fouere desyt, quā et morbo liberaret, & epilepsia illa in uniuersum euaneſceret, Fonti. Ad posteritatē transmitti huiusmodi exēplum debebat, Nor. Iam ad se reuersum in diuersoriū duci, deductū benigne seruari, ac refici iussit, quicquid absumeret hospiti solutura pollicitus, cum usura etiam & fœnore. An non hoc est Christianū agere principem? Foncius. Est, Planè enim hic Samaritani illius partes egit, qui hominem quendam a latronib⁹ despoliatum, & Vulneribus confectum, & iumento superimposuit, & in diuersorium deuexit, & suis sumptibus benigne curari mādauit Certè si uotis promoueretur aliquid, Optarim omnes Germaniæ principes sic adfectos esse, Norde. Idem ego quoq; optarim, Quid enim principem eque decet, atq; huiusmodi comitas? Ferunt historiæ, Alexandrum Magnum pari propemodum comitate erga milites suos uti solitum. Nam quum aliquando in solio regali sedens, senem quendam eumq; Macedonem, conspicatus esset, frigore propemodum enectum,

principē comitas decet.

regiæ

regiæ maiestatis oblitus, locum eidem ac sedē ultro cessit, donec admoto igne pristinus illi uigor redijsset. Et tamen hæc quatumuis maudita humanitas, cum illo Franciſci noſtri facto comparari nondum meretur. Propterea quòd hic externum, ille ciuem seruare studuit. Ad hæc, quod Alexander præstitit, philosophicum extitit. Quod uero Frāciscus designauit, Christianæ pietatis exemplum fuit, Fonci. Memini Platonem a principibus uiris, ceu magnū quiddam, hoc exigere, ut obliti commodorum suorum, ciuium salutem tantum tueantur, ita, ut quecumq; agant, huc referant. Eius doctrinæ memor fortasſis, semper quo ad licuit, seruare suos magnus ille rex studuit, At longe maior hisce in rebus Christianorū perfectio sit oportet. Quemadmodum enim Christus amicorum iuxta ac inimicorum rationem haberi uoluit, Ita Christianus non solum domesticis sed & externis, non solum amicis sed & hostibus, nō solum gratis sed & ingratis commodat, hoc ipso declarans, quanta externa illa uirtutum lar-

Alexander Macedo.

plato a principibus quid requirat.

Ingens discrimē inter hypocrisin & cordis iustitiam.

ua a Christiana absit iustitia, Nordecus. Mecum igitur sentis, quod illud Alexandri factũ longe infra illam Leunenburgiani ducis humanitatem collocandum iudicas, Fontius. Quàm uellem autẽ Principes aliquot nostrates Alexandro tantum ea in re similes esse. Neq; enim mirificam illam Franciſci ducis pietatem exigere ab ijſdem audeo, Nordecus. Alexandro an quiſquam ex principibus noſtris in pietatis negocio inferior eſſe poſsit neſcio. Certè enim ea in re ſœliciores illo ſunt, quod aqua baptiſmatis abluti, promiſsionem futuræ beatitudinis conſecuti ſunt, Foncius. Magnum quiddã eſt, baptiſmatis aqua, iuxta, Chriſti præceptum, ablui, ſi quod in baptiſmo facturus nos recipimus, impigre præſtemus. Sin uero a baptiſmo, in omnis generis ſordes deuoluti, uotorũq; adeo noſtrorum immemores, ea deſignemus, quæ parũ digna ſint chriſtiano nomine quid obſecrotũ ſacra illa aqua, quã ſceleribus noſtris prophanauim⁹, ꝓdeſſe nobis poterit? ſalus baptiſmatis ꝓmittitur, adeòq; modis omnibus Baptiſmus

Baptiſmus quatenus proſit.

ptiſm⁹ ad ſalutẽ neceſſarius eſt. Fateor. Verũ ſi conſtans in Chriſtũ fiducia adſit, ſi operum iuſticia de illa ipſa fiducia teſtificetur, deniq; ſi iuxta baptiſmi myſterium, ſemper & peccato moriamur, & iuſticiæ uiuamus. Iam quotus quiſq; ex Monarcharum iſtorũ grege, baptiſmatis uoto recte reſpondet? Nordecus. Vera ſunt hæc. Sed tamen ut plerosq; in hoc ordine frugi eſſe credam, charitas iubet. Foncius. Ego quoq; in hanc malo peccare partem, ut plures bonos in eo ordine eſſe credam, atq; malos. Neq; unquam me ſententiæ ſuæ adſtipulatorem habiturus eſt, qui in uno annulo, omnium frugi Principum inſignia, ſculpi poſſe exiſtimabat. Quin Germanicam quoq; parœemiam nimis odioſam eſſe iudico, qua dicitur. Principum uirorum animas, perinde eſſe in cœlis, atq; ferarum in uenationibus captarum carnem. Nam ea in re ſi quid peccaro, id facile excuſabit charitas. Sed tamen res ipſa clamitat, perpaucos eſſe, qui recte fungantur officio. Imò ſi fateri uerum uolumus, non tàm ſubditorum malitia

Apoplthegma nimis mordax

parœmia Germanica.

licia, quàm principum aliquot tyrannis, tumultuum huius seculi caussa est. Qui si in loco mites, comes, humani, ad fabiles essent, conciliarent indubitè omnium animos sibi. Iàm quum in subditos tantum exerceant tyrannidem, suis tantum commodis inhiantes, fit ut exiciabili utrinq; flagretur odio, adeò, ut nec subditus magistratui, nec Magistratus subditis bene uelit ex animo. Nordecus. Equidem fateri cogor, longe errare illos, qui imperium credunt grauius aut stabilius esse, ui quod fit, quàm illud, quod amicitia adiungitur. Sed quid facias? Incidimus miseri in ea tempora, quæ sanandorũ uiciorum medelam haud recipiunt. Proinde sacius esse duco, ea quæ ad nostrum officium pertinent inquirere, quàm inquirendis ijs, quæ ad detegenda illorum uicia faciunt, uulgi erga illos odium alere. Hoc pietas prohibet, & charitas, illud Christianismi iubet professio. Foncius. Ea de re nuper admonui populum, tractans eum Pauli locum, ubi inquit. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.

Terentiana sentẽtia.

Nam

Nam Christiani animum procul m eare, & a Philosophorum & ab Anabaptistarum oportet abesse sententia. Philosophi sic senserunt, Subditis in tyrannos ius esse, ita ut si queãt, occidendi quoq; illos potestatem habeant. Hinc illud Ciceronis. Nulla nobis societas cum Tyrannis, sed potius summa distinctio. Neq; contra naturam est, spoliare eum si potes, quem etiam honestum est necare. Atq; hoc genus pestiferum & impium, ab hominum communitate exterminandum est. Etenim ut membra quædam amputãtur, si & ipsa sanguine & tanquam spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis corporis partibus, Sic ista in figura hominis feritas, & immanitas beluæ, à communitate tanquam humanitate corporis segregenda est. Cui adstipulatus Seneca, inquit.

Victima haud ulla amplior.
Potest magisq; opima mactari.
Quàm rex iniquus.

In ea sunt & Anabaptistæ sententia. Quibus si quis, quod absit, adsentiri uolet, iam non

philosophi male de Magistratu iudicant.

Ciceronis sententia de tyranno occidendo impia.

Anabaptistæ.

solũ

ſolum Politicæ rationes omnes turbabũtur ac confundentur, Verumetiam ipſa quoq; Scripturæ autoritas labefactata corruet, ut quæ poteſtatibus ſupereminentibus nos ſubijciat. Nordecus. Puto Pauli uerba hiſce de rebus probe appenſa, ingens & præſentaneum eſſe contra fanaticas illas opiniones remedium. Nõ eſt poteſtas, niſi a Deo. Quæ uero ſunt poteſtates, a Deo ordinatæ ſunt. Itaq; quiſquis reſiſtit poteſtati, dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſtiterint, ſibi ipſis iudicium accipient. Principio omnem poteſtatem a deo eſſe adſerit. Iam quod deum autorem habet, quis uel pulſare, uel impugnare, uel ſubuertere audeat? Deinde ut illam ipſam ordinationem Deum conſeruaturum eſſe, perſuaderetur omnibus, addidit. Non hominibus reſiſtere, qui Magiſtratui uel reſiſtãt uel manum admoliantur, ſed ipſi Deo. Poſtremo comminationem ſubiungit. Certe ſibi ipſis iudicium accepturos, qui obtemperare ac dicto audientes eſſe recuſent, ſi uel hoc pacto a rebellione ac

paulus de magiſtratu.

iniuſta

iniusta ui, seditiosorum animos deterere queat, Foncius. Qui in rebus siue ciuilibus siue spiritualibus, impingere non uolent, eos semper oculos defixos habere, & in præceptum dei & scripturæ exempla. Fieri enim nō potest quin errent, aliter qui faciunt. Magistratus externa res est, Fateor. Sed si præceptum dei, quo eidem subijcimur consideretur. Iam quiuis facile intelliget, parendum principibus esse, etiamsi sint flagitiosissimi, & omni uitiorum genere obruti, neq; enim falsum est illud ab omnibus eruditis usurpatū, Abusus nullius rei tollit substantiam. An non præceptum est, Reddite quæ sunt Cæsaris cæsari? Item illud Pauli. Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit? Itē illud Petri, Subdite estote cuiuis creaturæ humanæ propter dominum, siue regi tanquam præcellenti, siue præsidibus, ut qui per eum mittantur, ad uindictam quidem nocentium, laudem uero recte agentium? Huc nunc scripturæ exempla accerse, Ioseph ac Maria, quantum-

præceptū dei ex pla scripturæ.

Nota.

Ioseph. Maria.

tumuis iustis posita lex non sit, censum tamen pendunt Cæsari. Christus una cum Petro apud Capernaitas staterem soluit. Paulus gentium etiam Magistratum, Festum ac Fœlicem reueretur, Nordecus. Manifesta sunt hæc. Atqui planum & hoc est, Christum & Apostolos sponte ac uolentes Magistratui semper paruisse. Neq; unquam disputatũ apud eos esse, Pendendi ne census, ac alia onera publica ferenda essent, an secus, Foncius. Horum exemplum imitari nos conueniebat. Neq; enim principum uicia, etiamsi grauia sint, manifesta sint, intollerabilia sint, quemquam obedientia, quam peculiari præcepto dominus exigit, liberant. Parere, non solio deturbare flagicioſos iussi sumus. Proinde si quem improba principũ uita ac Tyrannis offendit, is meminerit, parere nos iussos esse, non solum probis ac pijs, uerumetiam molestis ac improbis. Si quem offendunt exactiones, is meminerit non solum Magistratum, uerumetiam quicquid ad Magistratum pertinet, a Deo adpro

Christus petrus. paulus.

Flagicioſis etiam principibus parẽdum est.

adprobatum esse. Leges uidelicet, iudicia, contractus, pœnas, bella, militiam, distinctionem dominiorum, tributa, uectigalia, census & reditus. Quæ si cui dura uidebuntur, is cogitet quantum commodorum exactionibus & oneribus huiusmodi redimatur. Pace fruimur, defensionem habemus, uitæ, coniugum, & liberorum. Tranquillitate gaudemus, ita ut & uictū quærere & bonis artibus animū excolere possimus. Nordecus. Huc adde ingens illud beneficium, quod iure iactat nostra Hessia. Quòd uidelicet libere apud nos uerbum Dei prædicari permittitur. Permittitur autem? Imò per principem ipsum serio etiam prædicari iubetur. Neq; enim uideo, quæ exactio, quod incommodum, quodq; onus cum tanto beneficio conferri queat. Quanquam si quis exactius Hessiæ nostræ statum consideret. Quando unquam oneri fuit subditis suis Princeps noster? Nihil unquam extorsit, quod non cum fœnore ad suos redierit. Foncius. Hoc profecto nomine incusari non potest. Et nescio an in to-

paruo pretio magna emūtur cōmoda

Laus Philippi Hessorum princip.

ta Germania populus sit, æque ab importunis exactionibus liber, atq; Hessi sunt, quibus rebus etiam fit, ut dicto audientes sint, ut hilariter quod iubetur exequantur, ut mortem etiam pro patria ac principe ꝓpetere non recusent. Nordecus. Huiusmodi populum cæteri quoq; Principes habere poterãt, si à subditorum iniuria, si à fœdis expilationibus (fœdis inquam) adeoq; à Tyrannide temperarent. Quòd si etiam in his rebus nec finem, nec modum adhibere uellent, tamen æquum erat ab audiendo Euangelio non arcere populum. Hoc enim maxime pacto deuincire suos sibi subditos possent, adq; omnem posteà iniuriam perferendam paratos reddere. Foncius. Male rebus suis consulere Principes, cum Euangelij doctrinam denegant subditis, certius est, quàm ut inficias ire quis possit. Quod enim uix minando ac terrendo ab ijsdem impetrant, id ueluti quodam compendio impetraturi erant, si uerbi cursum in ditionibus suis permitterent liberum. Iam quum uerbi cursum Scythica plane cru-

Inconsulte uerbo resistunt principes.

ne crudelitate remorentur, & nihilo minus interim miseram plebeculam exugant, Nempe Vespasiani illud in ore semper habentes. Lucri bonus odor est ex re qualibet, fit, ut & ipsi modis omnibus inuisi sint populo, & populus uicissim illis. Ad hæc, occasionem subditis hac Tyannide ad in obedientiam suppeditant, præsertim tum cum de pietatis negocio agitur. Neq; enim dubium est, quin in omnibus dicionibus boni uiri sint, qui & Euangelicæ ueritatis sint amantes, & probe sciant, Magistratum non in conscientias, sed in bona tantum temporaria habere imperium. Hi ergo à pietatis negocio auocantibus, deterrentibusq; principibus, & merito & confidenter resistunt, freti Petrina illa Regula, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus, id quod in corporalibus rebus facturi nunquàm fuerant. Nordecus. Incusari hæc possunt, corrigi non possunt. Foncius. Interim ergo equum est, ut quanto maiori dono ac gratia Hessiam Deus perfudit, Principem & bonum & pium do-

Apothegma vespasi.

Recte Euangelij hostibus resistitur.

nando, tanto maiori feruore pro tàm ingenti munere gratias semper agamus. Norde. Imò interpellandus quoq; per Christum semper est Dominus, ut qualem hactenus experti sumus, talem semper habeamus. Experti autem sumus pium, bonis fauentem, literarum patronum, calamitosis propitium, comem, humanum, & adfabilem, Breuiter, Bonum hactenus experti sumus Principem. Qualis indubie semper futurus est, modo Ecclesiæ precibus iuuetur. Neq; enim abs re est, quòd pro ijs qui in Publicis officijs constituti sunt, orationes fieri uult Apostolus. Multis rebus id genus homines circumuallantur, quæ ut cum pietate non semper consenciunt, ita imbecillem animum ad deteriorem partem interdum rapiunt. Hanc igitur in Princicipibus imbecillitatem, piorum precibus fulciri oportet, ut qui fœliciter pietatis negocium sunt amplexi, á pietate nunquam diuelli possint. Foncius. Quod ad me attinet. Semper hic officij memor ero, nihil addubitans, quin reliqui

Orandũ pro principibus.

Altera Landgrauij laus.

liqui quoq;, qui Euangelicam ſementem in ditione illius faciunt, idem impigre facturi ſint. Interim uide, ut tu quoquè officij memor ſis. Nordecus. Quod mihi officium narras? Foncius. A ſecretis eidem es. Eòq; per occaſionem, quæ recta ſunt, quæ pia ſunt, quæ honeſta ſunt, inſtillare in pectus illius potes. Equidem hactenus, una cum Hinrico Lerſenero collega tuo, uiro ut probo ita docto, ſtrenuè pietatis negocium apud eundem promouiſti, literas fouiſti, ſtudioſis Patroni uice fuiſti, ita ut hoc nomine uterq; ueſtrum apud omnes bonos bene audiat. Quod ipſum ſi ſemper ita facere perrexeritis, iam officio recte functi eſtis. Nordecus. Scio iuxta Ciceronis ſententiam. Ortus mei partem, partim amicos, partim patriam uendicare. Cuius rei memor, ſemper huc neruos intendam, ut & patriæ & amicis, quoad licet, proſim, Ante omnia dabo operam, ut etiamſi pietatis negocium tantum promouere, quantum cupio non poſſum, tamen per me ſtetiſſe

Ioannes Nordecus.

Hinricus Lerſenerus Secretarij Heſſiaci.

Egregia Ciceronis ſententia.

non dicatur, quo minus omnia apud nos recte atq; ordine facta ſint. Id de me polliceri poſſum, cum tibi tum bonis omnibus. Fonciùs. Hoc animi tui propoſitum, perpetuo fortunet Deus Optimus Maximus. Amen.

ARGENTORATI APVD
Vuolffgangum Cæphaleum

ANNO M. D.
XXXVII.